



BIBLIOTEKA

Zakł. Nar. im. Ossolińskich

XVII

373





XVII-373-I



3

Illustri & Reu. Domino
MATTHÆO IOANNI
I V D I C K I .
CANON. GNESNENSI.
Archidiacono Pomeraniae
S.R.M. Secretario



SIMON STAROVOLSCIUS.
Felicitatem

16.371



N interum , de fru-
stuosa ratione le-
gendi Historias , li-
bellum meum in lu-
cem emitto , Illu&ris & Reue-
rende Domine , quem dua-
bus profecto de causis , sub tuo
nomine apparere volo . Alte-
ra , quod humaniores literas ,
etiam gtauioribus scientijs , &

assiduis occupationibus Ecclesiasticis distractus , pro ingenij
tui elegantia , & humanitate
minime abhorreas . Altera ,
quod in colenda , seruandaq;
amicitia , semper te constan-
tem & ubiq; tibi simillimum
exhibeas . Ex quo enim tem-
pore , in aula pientissimi illius
Antistitis , Matthiae Libiniij
(cuius viri memoriam neque
mors , neque omnino dies vl-
la vnquam eripiet) te pri-
mum vidi , statim ex sermo-
ne , & simplici gestu , virum à
candore ipso , & virtute factum
esse iudicaui , atq; indolem ad-
amaui . Nec progreffu tempo-
ris alium , licet variante ac lu-
dente Fortuna , quam probum
& constantem expertus sum ,
atq; in nectendis conseruandis
que familiaritatibus perpetuò
honesti amantem . Ac proinde
cupio omnes eodem in te affe-
ctu esse , quo ipse sum : nec sa-
tis amare videor , nisi multi

ament, quem dignū omnium
amore scio. Et vel maxime pro
pterea, quod Patroni olim tuī
de Religione, & Eccl. Catholica
zelozissimi exemplo, & deco-
rem domus Dei ames, & cona-
tum omnem, industriam, fortu-
nasq; tuas, non pro sæculi huius
pompa, sed pro augenda illius
gloria, libentissimè impendas.
Notum est Orbi Polono (im-
mo, & Sanctę Sedi Apostolice)
ut a pio illo Antistite, dum
Cui auiēsem adhuc Episcopām
gubernaret, Gedanensibus va-
ria hæresi infectis Officialis, seu
Vicarius in Spiritualibus datus
Pomeraniæq; totius Archidia-
conus constitutus, & amplissi-
mis illis Prussiæ Prouinciæ di-
strictibus, pro Ecclesia Sancta
labores susceperis, visitandoq;
permixtum inter fidei Ortho-
doxæ hostes Clerum **Catholi-**
cum, multos abusus sustuleris;
multos deuios errores corre-
xeris: multa tempia profanata

de manibus hereticorum recu-
petaueris: multisq; ad diligen-
tem animarū gubernationem
ordinatis, dignos salutis ope-
rarios prouideris . Notum , vt
diuini cultus augendi,Ecclesias
Pucensem,Suarzeuiensem,**Ga-**
menensem,Crusuicensem,Slu-
chouensem,Choynicensem,&
Capellam S. Stanislai Gnefnæ
decore ornaueris , altaria ere-
xeris, scholas & Seminaria fieri
pij Presulis liberalitate procu-
raueris; ingenuosq; adolescen-
tes, vtiles aliquando Ecclesiæ
Dei ministros, sumptibus tuis
ad exteras nationes expedie-
ris, Quid? quod ipse toties ad
Sedem Apostolicam missus ,
Primatis Regni, ac primi Prin-
cipis negotia, pro dignitate rei
expediueris? & vniuersi postea
Cleri, è Synodo Prouinciali O-
rator, ad Santissimum Ponti-
ficem Innocentium X. designa-
tus, munus tibi iniunctū dex-
tre tractaueris, & feliciter om-
nia

nia obtinueris, quæcunque fo-
lidum perpetuæ firmitatis ro-
bur, ab Apostolica authorita-
te habere desiderabant. Atque
hanc ego præcipuam semper
viri Ecclesiastici occupationem
existimauī, hanc doctrinæ, &
prudentiæ partem, viri in Pa-
tria præclarì esse putauī, ad ho-
nestatem, pietatem, modestiāq:
Christianā mores compone-
re, bono publico, & saluti ani-
marum, non priuatæ utilitatî
consulere: nec scire tantum
pulchra, sed facere. Deo & ve-
ritati dare calatum, linguamq:
mentē: patriæ & Ecclesiæ com-
modare operam, industriam,
opes. Quod dum tu vir amicis-
simè & Reuerende animo ze-
lanti & liberali præstas, adque
proposita in cælo præmia, vir-
tutis gradu scandis, etiam in-
terrī famam immortalem, quæ
semper virtutem, ut umbra so-
lem sequitur, absque dubio
consequeris. Ibitq, tuum no-

men in venturas ætates, vel
Psalte Regio attestante, Et iu-
stitia eius manet *in seculum*
seculi; & cum de viris probis,
Ecclesiæq; bonum amantibus.
apud posteros recordatio inci-
det, semper inter illos IVDIC-
KI numerabitur. Cuius voti
pignus ecce do, *Penu Histori-
cum*, seu de dextra & fructuo-
sa ratione historias legendi cō-
mentarium, exile & minutum
scriptum, sed ideo pignus, (se-
ria enim historiarum narratio,
sero nomen tuum excipiet) v-
tile tamen iuuenibus, si exile
non putabis. Interim valc, &
amari humanitatem, coli à me
virtutes tuas ama, qui Cleri
totius Poloniae tibi animos de-
uinxisti.



BENEVOLVM LECTOREM

Saluere iubeo :



Vomodo suauissimos
historiarum fructus
ex earum diligentia
lectione decerpere o-
porteret, Lector Amicissime,
ante annos triginta & amplius
ex Iusti Lipsii viri immortalis
Epistola, modum desumptum,
& normam Polonæ iuuentuti
præscripseram : quod ex omni-
bus, qui de Methodo Historica
tractarunt, clariorem illo Do-

etorem neminem inuenirem.
Et sunt ex vetustioribus com-
plures haud omnino contemne-
di, tam breuitate doctrinæ, quæ
ordine, & perspicuitate artis,
ut Cælius Secundus, Dionysius
Halicarnassæus, & Lucianus:
Ex recentioribus vero Fran-
ciscus Patricius, Franciscus
Balduinus, Iouianus Ponta-
nus, Andr. FrancKenbergerus
Thomas Porcatius, Fridericus
Tilemannus. Anton. Poffeuinus
Io. Beurerus, Philippus Glase-
rus, Francis Robortellus: Se-
bast. Foxius, Vbertus Folleta,
Ant. Viperanus, Christoph. Mi-
laus, Dionysius Lambinus, V-
tura Cæcius. Christoph. Pezelius
Io. Sambucus, Anton. Riccobon-
ius, tum in oratione sua Dres-
serus, & Melchior Canus, atq;
ultimo Bartholomæus Kecker-
manus. Sed maxime Io. Ber-
nartius ad rem mibi facere vi-
sus : quem Lypsiæ doctrinæ
adiun-

1691

adiunctum, & noua methodo
per capita disiunctum, placuit
Historico studio addictis, ve-
lut in gustum dare, & peri-
culi faciendi causa. Nam
plures fortasse erunt, qui il-
lud magnum Historiae penu,
& inibi iudicia Scriptorum
probare malent, ad hęc autem
nostra non cognoscendi animū,
sed examinandi adferent. Cœ-
terum quia vetustiorum, vix
venalia exemplaria inuenias,
prout & nostrae iam editionis
prioris inter studiosos non repe-
riuntur, placuit paucis immu-
tatis recudere, & tuo usui,
Candide Lector, qui maiori cū
fructu, & illos authores (si
acquirere poteris) & Histori-
cos ipsos legere cupis, hęc pri-
mo breuia, quæ ex probis,
& doctis adferimus, placi-
dus imbibe, & usurpa,
(inuenies autem in re leui,
non leue momentum) postea,

verò , quid ab illis rectè aut se-
cūs consulatur , dextrè iudica,
¶ me ama .



S I M O N I S
STAROVOLSCIJ
Penu ^{po}Historicum

*Seu de dextra & fructuosa ra-
tione Historias legendi*

C O M M E N T A R I V S



C A P V T I.

*Vita ciuilis diuisa in Practi-
cam, & Theoricam.*

*Utrique in genere Historie co-
gnitio necessaria ostensa, &
breuiter laudata.*



V M vita sine pro-
posito vaga, otium
sine negotio mors-
fit; vnicuique pro-
positum esse debet, vt alicui
negotio intentus Dei Optimi
Ma-



Maximi honorem illustret, hominibus prospicit, & quo rerum humanarum carius nihil datur nominis immortalitatem sibi quam maximè paret. At nullæ ad hanc metam ex communione Sapientissimorum virorum traditione viæ tendunt, praeterquam duæ: Practices una, Theorices altera. ergo unusquisque harum aliquam infestere, & firmo pede debet decurrere. *Omnis siquidem virtus (aīt Romanus Sapiens) in duas partes diuiditur, in contemplationem veri, & actionem.* Si itaque Practices iter eligat, necesse est officium suum in agendo discernat. Discernere sine prudentia non potest. Prudentia autem nihil aliud est, quam cūntorum obseruatio: rerum presentium ac futurarum ex preteritis tanquam ex fonte deriuata scientia. Res præteritas, earumve cūn-

*Et unde
gignatur*

euentus , vel vſu quotidiano ,
vel ex Historia discimus . vſu
tardè , cum extimè ætatis sit
propria prudentia quam lar-
gitur : & etiam leuiter , cum
in angusto hoc vitę circo mul-
to citius cretam attingamus ,
quam obſeruare liceat varios ,
ac mutabiles humānę rei flu-
xus . Historia verò obuia ma-
gis , diffusa latius , non vnius
ætatis finibus adstringitur , sed
omnium seculorum gentium-
que res gestas exiguo volumi-
ne comprehensas velut in spe-
culo proponit . Ex historia
igitur præcipua prudentia : ex
prudentia officiorum cognitio
ex officiorum cognitione pro-
ba actio . ergo nullus sine hi-
storiarum cognitione actionis
iter pede recto vir quam per-
agrabit . Si Theorices trames
magis placet ; cum ad inanem
contemplationem is dirigi nō
debeat , vel Theologiæ , vel

*Contempla-
tiuis Histo-
rie cognitio
netessaria*

Iu-

Jurisprudentiæ, vel Medicinæ,
vel Philosophiæ strenuam, &
bonam operam nauare debes.
At sine historia Sacrarum litt-
terarum seriem, Diuinorum
librorum interpretum Com-
mentarios, Oecumenicorum
Conciliarum vigorem, Ortho-
doxæ fidei antiquitatem, ac
consensum nunquam explica-
bit Theologus: sine historia
legum tabulas nunquam intel-
liget Iurisconsultus: sine cana
historiarum prudentia, neque
morbum sepius cognoscet, ne-
que remedia utiliter aplicabit
Medicus: sine historia denique
adfectibus frænos nunquam
inijcit, virtutes in vero suo
vultu ostendet Philosophus.
Ergo qui turpiter in Theorices
cursu non vult hærere, Histo-
riarum cognitionem sibi deberet
comparare: comparata autem
tam uberes fructus in vita per-
cipiet, vt siue honestatem re-

qui-

quirat, nihil præclarus; siue
utilitatem, nihil fructuosius:
siue iucunditatem, nihil amæ-
nius: siue dulcedinem, nihil
suauius. siue splendorem, ni-
hil illustrius; aut ad parandam
nominis immortalitatem, fir-
mius præstantiusq; reperi po-
test.

C A P V T I I .

*Quid Historia practicæ confe-
rat in specie demonstra-
tum.*

CVM nulla vitæ pars Tul- Cic. Qd
lio teste, neque publicis,
neque priuatis, neque foren-
sibus, neque domesticis in re-
bus, neque si tecum agas, quid
neque si cum altero contrahas
vacare officio possit; in coque
colendo sita vitæ omnis hone-
stas sit, & in negligendo turpi-
tudo; nemo vñquam negau-
rit,

*Officium in
omni re di-
scernendā.*

6 De fructuosa ratione
rit, nisi idem rationem om-
nem exuat ac sensum, antea-
quam ad agendum veniatur,
deliberatione rectoq; iudicio
opus esse, quo officium hoc
discernas, ac cognoscas. At
nulla deliberatio, nullum re-
ctum iudicium sine prudentia.
*Xenias
ellenboris*
quam viuendi artem esse, pe-
rinde ac medicinam valetudi-
nis, nauigationis gubernatio-
nem, Romani eloquij flos asse-
rit, solam preire ac ducere ad
recte faciendum, diuinus Pla-
to scribit, Bion verò Borysthe-
nites tantum alijs omnibus
virtutibus præstantiorem cre-
dit, quantum visus alijs sensi-
bus. cui adeò plena cera sub-
scribit Stoicorum porticus ti-
biken haud infirmus Apollo-
phanes, vt Prudentiam solam
virtutem esse putaret, quę vel
in se alias cunctas contineret,
vel cui reliquę omnes famula-
rentur. Et merito. quemad-

Cic. 5. De
fin.

Plat. in Me-
d. zone.

Prudentia
lans.

modū enim sine mixtura lucis
nihil splendidum in orbe , ita
sine prudentia nihil rectum in
actione , quę vel sola virtutes
omnes gloriam parientes ita
gubernat , vt nihil verear affir-
mare , & iustitiam esse crude-
lem , & temperantiam sordidā ,
& constantiam imbecillum , &
seueritatem dissolutam , & cle-
mentiam rigidam , & doctrin-
am stupidam , & omnem vir-
tutem denique vitiosam , nisi
pruderie vel sale conditatur ,
vel lumine collusretur . At
huius sola historia est mater ,
quia solus ille prudens cum
Tullio habetur , qui conse-
quentia cernit principia , &
causas rerum videt , earumq;
progressus , & quasi acceſſio-
nes non ignorat , similitudines
comparat , & rebus preſenti-
bus adiungit , atque annexit
futuras . Hoc autem non aliun-
de petet facilius aut acquirer ,
quam

*Virtus sine
prudentia
haud recta.*

*Prudentia
vero biſte-
ria gignit.*

8 De fructuosa ratione
quam ex diligentia, & assidua
lectione Historicæ, quæ non
vnius regionis, aut plurium
etiam limitibus circumscripta
vti peregrinatio ; non vnius
ætatis angustijs depresso, quem
admodum usus, sed omnium

Diffusa la-
rius quam
etas huma-
næ.

populorum omnis æui res ger-
tas velut in speculo ostendet sic
Hæc rerum experendarum a quo
fugiendarum certissima præcep-
pta, bonorum facinorum præ-
mia, malorum pœnas, Reipubli-
gubernandæ normam, discipli-
plinæ militaris conseruanda quæ
modum non verbis tantum in-
sed omnium gentium exemplis
tradet. Hæc maximorum im-
periorum auspicia, progressus in
finem, malorum seu publicorum
rum, seu priuatorum causas illas
omnium magistratum ab ipsis
auspicali die in subditorum q
beniuolentia concilianda in
dustriam, in seditione sedans
da solertiam, in hoste profli-
gan-

Omnigenis
exemplis ple-
na.

Lando stratagemata, de sum-
mis denique rebus prouida-
lonsilia, imò quod maximum
est, eorundem euentus, om-
nigena denique exempla ad
mum qualibet in re commo-
missimè aptanda sic exprimer,
et nullus Apelles corporis effi-
ciam in tabula repræsentare
solet euidentius. Contra, vt
aeros videmus ob ingenij ac
uentis imbecillitatem bonum
malo non posse discernere:
sic illi, qui nulla superioris aut
quasi senili ac cana scientia
nimis imbutos habent, quid
ibi, quid Reipublicæ, quid
amiliæ suæ salutare, nunquam
site poterunt constituere, vt
non vanè Senex Aegyptius,
alle, Græcos nulla vetustatis
ognitione exultos videns,
quid Plat. in Ti-
meo.
Platonem exclamarit,
O Solon semper Græci pueri
stis, nec Græcus ullus senex.
Rhet. cap.
Doctorum vero Doctor Ari-
sto.

10 De fructu osa ratione
stoteles discipulum suum Ale-
xandrum magnum , acta præ-
decessorum assiduè reuoluere
iussert *Annales patrum* , in-
quiens , *discute* , unde optima
poteris exempla colligere , quia
acta præterita dant certum
documentum in futuris . Nec
utile hoc præceptoris sui præ-
ceptum neglexit aut contem-
psit Alexander . quinimo Plu-
tarcho teste , dum eò usque in
Asia progressus esset , ut nullo
libros inueniret , non conten-
tus Homeri Iliade , quam ne-
dormiens quidem demirtebat
ex ipsa Græcia nonnullos , &
imprimis historias Philisti sib-
mitti Harpalo mādauit . Quod
Alexandri factum cupide imi-
tati sunt , selecti quique ducēs
præcipue magnus ille Iuliū
Cæsar , qui ab Achilla pericu-
lose in Aegypto oppugnatus ,
cum nauibus vndique cinge-
retur , mari se commisit , & æ-

Plut. in
Alex.

123
Historiarum
Etores anterius

Zonar.
Tom. 2.

grè enatauit, attamen fertur
libellos multos, quos lectita-
re consueuerat, manu inter-
natandum in sublimè elatos
non abiecisse, quanquam telis
ab Aegyptijs vndique petere-
tur. Magnanimum quoque
Brutum, qui in campis Philip-
picis pro patria & cum patria
obijt, Historiam Polybij legen-
do propè triuisse, &, quod
admiratione dignum est, in
ipso ardore belli ciuilis, in ip-
sis Pompeij castris paulo ante
Pharsalicam pugnam, eandem
illam historiam, quo memorie
consuleret, in compendium
isse constat. Idem O-
us, & Tacitus Romanî
ander & Basilius Constan-
tinopolitani Imperatores fa-
cere in omnibus publicis actio-
nibus consueuerant. Quos a-
mulatus est magnus ille Rex
Alphonsus, qui Liuiianam hi-
storiam semper habebat comi-
tem:

13 De fructuosa ratione
tem : atque adeo ut historiæ
lectioni suam bestè regnandi
facultatem acceptam se ferre
testaretur, librum suis insigni-
bus regijs iussit appingi. Ca-
rolus vero V. historias non
Germanici tantum Imperij &
Hispanici, sed etiam veterum
Monarchiarum ac regnum ,
& in primis sapientissimum
Scriptorem Thucididem , quē
in Gallicam linguam luculen-
ter à Claudio Massiliensi Epi-
scopo conuersum habuit , ma-
gna cum voluptate assidue le-
git . Nostra vero memoria Fe-
lix Criscius Regni Poloniae
Cancellarius Tacitum ,
cum in Senatu esset in f-
stauit . Cum igitur sola
dentia præeat ac ducat ,
Etè faciendum , illa autem ex
solo euentu retum sit , euventus
autem nusqnam melius quam
ex historia colligatur , nihil ex-
cogitare posse ad quaslibet vi-

lectio di-
rum.

tae actiones ritè instituendas
historiarum lectione utilius,
imò aequè aptum aut conueniens
concluditur.

CAPUT III.

*Quid Theoricae historia confe-
rat summam explica-
tum.*

ET si fatear sine historiarum cognitione esse posse. fuisseque plurimos Theologos doctissimos. Iurisconsultos clarissimos, Medicos expertissimos, Philosophos denique acutissimos: attamen nemo, qui attentius modo à nobis allata excusserit, vñquam negabit: nisi idem cecus fuerit in perspiciendis claris, vel malitiosus in perfringendis certis, sumnum adferre antiquitatis cognitionem superioribus disciplinis ornamentum.

B at-

atque adeò adiumentum proprium, non externum. Nam in exordio huiusc tractatus volui omnes homines curas omnes ad Dei gloriam & publicum Reipub. commodum conferre, igitur simul, nec Theoricen ad inanem contemnationem vñquam me velle dirigere disertè professus sum, imò si qui tales sunt, vel fuere eorum ego vitam mortemque iuxta existimo, Prudentissimo historico plena cera subscribēte, sed eosdem tales assidue voce adhortatione, exemplo, scriptis omnibus, in quantum fieri potest prodesse curare, & ut tela in armamentarium, sic pro diuersitate munerum, & scientiarum, Theologiae artium reginæ arcana, facti iuris decreta, Medicinæ denique ac Philosophiae præcepta in annum recondere, quæ mox vel in celebri aliqua Academia di-

Salust. C5.
iurat. Ca.
til,

Inuētus in
litteris in
stituenda.

disertè, ac eloquenter iuuen-
tuti inrerpretantur, vel ele-
ganti stylo expressa, ad poste-
ros transmittantur, fœcunda-
que scientiarum diluie orbē
terræ inundent. His itaque
germanis Theologis, genuinis
Iurisconsultis, veris Medicis,
legitimis Philosophis, historiā
non externum, sed proprium
adiumentum, neque adeò e-
xiguum, ut sine damno illo
carere possint: sed tam am-
plum, ut illo destituti, nun-
quam quod profitentur no-
men sustinere poterint, pro-
baturum me singulis sequenti-
bus capitibus recipio. Et li-
cet Plinio magistro, suos cu-
iusque generis autores dili-
genter eligendos esse sciam,
qui consultum sibi studijsque
suis velit, nihilominus osten-
dam, tranquillam in contem-
platione rerum vitam agenti,
ab historiarum sole non lucem

Epist.lib.7

10 De jure naturae et rationis
solum mutuandam esse; sed
historiam ipsam omnes scien-
tias in se artesque continere
atque adeo antiquitatis peri-
tum in re Theologica clare,
Iuridica perspicue, medica-
aptè, Philosophica deni-
que acutè, cum le-
ni scientiarum
adminicu.

lo

posse differe-

re.



CA

CAPVT IV.

*Quid Theologo conferat hi-
storia in specie decla-
ratum.*

Scio Theologis omnibus,
quod mandatum est, ma-
xime cordicurequè esse debe-
re, *Scrutamini non historias,*
sed Scripturas, non Thucididis
Polybij, Liuij aut Taciti pen-
sas sententias, sed sacrarum
litterarum testimonia, San-
ctorum Apostolorum traditio-
nes, Oecumenicorum Conci-
lliorum decreta, Sanctæ Matris
Ecclesiæ consensum, Senato-
rum denique orbis terre omni
exceptione maiorum, sanctio-
rum, doctorum, vetustiorum
sententias, quibus diuina sa-
pientia, quibus clarissimum
lumen tenebris nostris, qui-
bis prauis adsectibus antido-

18 De fructuosa ratione
tum, quibus diuina voluntas,
nostra salus continetur. Ve-
rum tamen & illud etiam au-
da fieri ad sero: In his ipsis sacris
litteris, traditionibus, Conci-
lijs, Ecclesiæ consensu, maio-
rum scriptis, innumera pene
esse, quæ nunquam patet, &
liquidè, sed quasi per nebulam
solum intelliget lector, qui nō
est tinctus vel imbutus notitia
prisci ævi; tum vel maxime
aduersus Christianæ religionis
hostium insultus: rerum ge-
rum cognitionem Theologo
inecessariam, nemo sanus ab-
sinet. Nam quomodo pro-
missum sit explicandum cele-
bri illo Iacob Vaticinio adum-

Gen. 13. bratum, Non auferetur sepe-
trum de Iuda, nec dux de fa-
mori eius, donec veniat, qui
mitcendus est quomodo in-
tricatissima illa quæstio intel-
ligenda, quæ doctorum ma-
num ac calamum tam sèpè

fatigauit. MARIA VIRGO
erat ex filiabus Aaron. quæ
nihilominus tamen Gabriele,
teste erat cognata Elizabeth,
nulla affinitatis necessitudine,
intercedente: quomodo fabu-
la illa de Ioanne VIII femina
impudentissimè facta, multissi-
mè credita sit è mentibus ho-
minum explodenda; quomodo
denique hoc recens. illud
vero antiquum dogma Eccle-
siae cognoscendum, hanc or-
thodoxam & piam, illam sce-
lestam & blasphemam doctri-
nam esse credendam, hanc
traditionem patrum antiquo-
rum esse, istud vero commen-
tum nouitorum Euangelista-
rum agnoscendum. Non aliter
certè quam à vero sensu hi-
storiarum, quem nisi ē medi-
tallijs autorum Theologus e-
rutm habeat, sit nescio quo-
modo ingeniosus, sit eloquens
sit exercitatus, tamen aridus

20 De fructuosa ratione
ac balbus appareat necesse est,
nisi antiquitatis lumine , den-
sam hanc caliginem interpre-
tantium pellere queat. Vnde
haud immerito Antistitum
Antistes, magnus ille Augsti-
nus . Quidquid (inquit) de
Doc. Chri otdine temporum transactorū
stia. c. 28. indicat ea quæ appellatur hi-
storia, plurimum nos adiuuat
ad sanctos libros intelligendos.
Et iterum . Per Olympiadas ,
inquit , & per Consulum no-
mina , multa saepè queruntur
à nobis , & ignorantia Consu-
latus , quo natus est Dominus ,
& quo passus est , nonnullos
coegerit errare . Tum paulo in-
ferius . Ne aliundè caligo du-
bitationis oriatur , de historia
gentium collata cum Euangelio
liquidius certiusq: colligitur .
Hæc Augustinus. cui comitem
Melch. Ca- nouim do , sed magnum , &
nus Epist. doctum Theologum. Viri om-
Canar. nes docti , inquit , consentiunt ,

rudes omnes Theologos illos esse,
in quorum lucubrationibus Loc.Theo
historia muta. Mibi quidem log.lib.II
non Theologi solum, sed nulli cap.2.
satis erudit i videntur, quibus
res olim gestæ ignotæ sunt.
Multæ enim notis è Thesauris
suis suppeditat historia, quibus
si careamus, & in Theologia,
& in quacunque alia fermè
facultate inopes sæpen numero,
indocti reperiemur. Cum vero
pateat quandoq; in re quadam
gesta Theologicæ disputationis
cardinem verti: quis est hic
qui neget interdum etiam in
Scholastica disputatione opus
esse ex Annalium monumentis
testes excitare clarissimos veri-
tatis. Huc usque ille. atque
ego simul. qui sacras litteras
historijs etiam profanis illu-
strari, his breuibus monstran-
do, Traditiones Apostolicas
non adiumentum modò, sed
robur omne fere & firmamen-

tum debere historiæ , cum Io-
anne Bernartio optimo hac in-
re sciptore, nihil vere or adse-
rere.

CAPUT V.

*Quid Iurisconsulto accedat ex-
historia breviter declaran-
tum.*

Quantam lucem futuro
Iurisconsulto adferat hi-
storiarum cognitio ,
vel solis ille Clarissimus eru-
ditissimusque Lætinus Torren-
tius , de cuius laude neque hic
locus est ut plura dicantur, ne-
que plura dici possunt , quam-
omnes boni , omnes litterati
memoria tenent , optimè do-
cebit Iurisprudentiæ inquietens

L. ~~et~~. in studium tale esse, in quo nemo
præf. Com. excelleret, qui non historiæ ac
ad Suet. antiquitatis omnis peritiam si-
bi comparasset . Nam omnium

inde veterum Legum, Plebisci-
torum, Senatusconsultorum.
Edictorum Constitutionumq.
facillime fragmenta colliger,
omnium ibi mores consuetu-
dinesq. velut in speculo vide-
bit, de omnibus inde institu-
tionibus, substitutionibus, bo-
norum possessionibus, stipula-
tionibus, actionibus; publicis
iudicijs, similibusq. Iuris o-
biectis rectissime poterit disse-
rire, imo singulis Iurisperito-
rum responsis lucem ab illo
dare. Exemplo pro sexcentis
alijs sit vnicum illud Vlpinianni
Est quoddam genus quasi in- L.7.9.
Insulam relegationis in pro- ff. de in-
vincia Aegypto, in Ouasi ne- & rel.
legare. Anxiè hic antiqui quæ-
runt, quid sit in Ouasi rele-
gare, & nescio quam nouam
relegationis spetiem sonniant
cum, si vel vnum legissent Euag.
Euagrium Scholasticum, scire
potuissent nihil aliud significa-

24 De fructuosa ratione
ri, quā in locum desertum in
Africa, in quem nocentes olim
frequentius relegari solebant.
Quis etiam vel Heraclitus non
rideat Accursij Commenta-
rium ad illud acutissimi Papi-
niani responsum: *Ideo condem-
natus, quod artiorem annonam
ædulitatis tempore præbuit, fru-
mentariæ pecuniaæ creditor non
videbitur, & ideo compensatio-
nem habebit?* Imo. quod mi-
rere, ex recentioribus etiam
viri magni fluctuant; & locum
haud sanum perhibent, serioq;
nituntur persuadere expulsa-
jud. Hal. *ædulitatis* voce, legendum *ædi-
litatis*. Continete manum in-
terpretes, nullum hic dubium
adire vel vnum Lampridium,
& clarè non per dioptram, vi-
debitis Iurisconsulti mentem.
Sed preclarè hac in re Io. Vvo
fangus Treimonius Bauarus, e-
didit Symphoniā iuris vtriusq;
Chronologicam, in quā non

.17. ff.de
omp.

jud. Hal.
alciat.

amp. in
lex.

modo omnium Pontificum,
Consulum Romanorum & Imperatorum Iurisperitorum,
item tam veterum quam recentium nomina, successiones
ætates, in unum opus colliguntur, sed etiam quid ab unoquoque vel Imperatore, vel
Pontifice in utroque iure sanctum sit, & constitutum, &
quæ constitutiones in Codice, aut in Nouellis, quibus Consulibus, quo anno, quo mense, quo die factæ sint, quid item ex responsis prudentum
in singulas Pandectarum leges translatum, magna cura & diligentia, secundum temporum ordinem exponitur, & additur præterea succincta delineatio originis & successus tam Imperij, quam iuris Romani a primis Vrbis temporibus usque ad Iulium Cæsarem. Forsterus quoque edidit Historiā præcipuorum Iurisconsultorū

26 De fructuosa ratione

& rectè, ex sententia Nicolai
Oudaerti inquit in tuis;

L. vlt. ff. de
const. Princ posterior lex priorem abroget,
vel ei aeroget, nihil esse utilius
quam legum ac Iuris auctorū
quandam veluti chronologiam
inuestigare, ætatemque singu-
lorum scire. quia scimus qnoq;
familiare esse ac tritum vulgo
interpretibus & imperitis qui-
busdam baburris, in libris, in
colloquijs, in scholis, leges
Digestorum neque paucas, &
ponderosas eleuare vel elude-
re, quasi per legem aliquam
Codicis corrigentur. Ciretur
exempli gratia ex Digestis re-
sponsum aliquod Papiniani,
Florentini, vel Modestini, illi
ne proorsus obmutescant, non
verebuntur respondere, per
rescriptum aliquod D. Hadria-
ni vel D. Pij in Codice relatuin
predictorum Iurisconsultorum,
corrigi responsum adhibeas
tu Doctorum scholia, abnuēt,

& se in nullius magistri verba
iurasse dicit. Verba Iuris-
consulti vrgeas; ineptissima
sua exceptione obfistent. In
summa quod habet vetus ver-
bum, Si tu proreta isti nauis es
illi gubernatores erunt. atque
hoc pacto firmissimum eludetur
argumentum, nisi tu ex histo-
rijs didiceris, qua quisque æ-
tate Iurisconsultorum vixerit,
& calamistratos istos milites in
solem, & puluere in suis um-
braculis euocatos, valentissi-
ma causa & certissima veritate
debiles, quam stultum sit af-
firmare Imperatorem aliquem
suo rescripto eius corrigere
sententiam, qui cum ille ipse
Imperator inviuus esse desisset
natus non dimerat, clarè edo-
ceas. Quis ergo iam tam stu-
pidus, ut non percipiat, non
leuem, sed maximè grauem,
non infructuosam, sed omni-
no utilem de Iuris consultorū

28 De fructuosa ratione
ætate inquisitionem. Quid
historiarum ipsarum cognitio
nem? Nec est certè quod ali
quis hic mihi obijciat Bartho
lum, Baldum, Castrensem, Ia
sonem, & huius notæ similes
viros magnos certè, & ingenij
acumine monstrabiles. sed a
deo maiores multo futuros, si
antiquitatis facem habuissent
prælucentem, & vt noui Iusti
nianei habeant, serio moneo
antea quam Institutionum tu
tissimo portu derelicto, inge
nioli sui cymbam in vastum
Pandectarum conijciant pela

istinctius
tensu ne
ffariam
risconsul
historia
m cogni
onem.

gus. Offerent enim se primo
ingressu quæ de officio omniū
magistratum ac iudicium in
tegrò penè primo Pandecta
rum libro: quæ de imperio
mero ac mixto, de in ius vo
cando, de vadimonijs obeun
dis, de non eximendo eo qui
duceretur, Secundo: de his qui
notantur infamia, Tertio: tra

stantur. Accedent quæ tam varijs multisq. locis de solemnitatibus testamentorum, calatis comitijs, libripende, ære ac libra, de institutionibus, & legatis caducis, de SIC. Silliano ac Claudiano, libertinis, manu missionibus, iure patronatus, actione ingrati, iure patriæ potestatis, iure aureorum annulorum, censibus, deportatis, relegatis, emancipationibus, iure postliminij, iudicijs publicis fetè omnibus, de lege Attilia, Asinia, Cincia, Cornelia, Fabia, Falcidia, Fa-
nia, Iunia, Norbana, Papia, Lætoria, Licinia, Popæa, Pe-
tronia, Scribonia, Iulia cadu-
caria, Iulia Titia, Iulia miscel-
la, alijsque quas recensere lon-
gnm foret, enarrantur. quæ si quis sine historiarum præfi-
dio intelligere se posse sperat,
ideo certè facile expectaret, ut
de glacie media nascantur vio-
le,

30 De fructuosa ratione

læ, de niuibus rose, depru-

omnibus nis lilia, & vt vnico verbo au-
toris libris daſter dicam, & concludam,
huc ab hi. nullus in iure titulus illustris,
ſtoria. qui ab historia lucem non ac-
cipiat aliquam.

C A P V T o VI.

Quid historia Medicis conferat
breuiter dictum exem-
plis illustratum.

INſtabit fortaſſe i totali Medi-
corum classis, & Hippo-
cratem, Galenum, Auicen-
nam, magistros ſe habere di-
cer, historias vero ne mini-
mum quidem ſocietate medi-
cinam contingere; ſed haud
prudenter certe & conſiderate
cum ſalutare ex eisſit & efficax
non contra corporis ſolum
morbos remedium, ſed con-

Historia retra ipsos etiam animi affectus.
a animorū Nam da tyrannum aliquem,
*medicis, qui ſeruīſ non ciuibus ſe pre-
eſſe*

esse credit, cui nihil iniustum
videtur quod fructuosum, &
qui cum scelerato Caligula sce- Suet. Calig.
lerate iactet, *Omnia sibi, & in*
omnes licet: ecce tibi statim
ex historiarum officina animo-
rum medico paratam antidotum.
Sit ante oculos Nero,
quem longa Cæsarum serie au-
mentem, sua immanitas, sua Tac. hist. I
luxuria servitibus publicis de-
pulere. Cedo mihi iterum tu-
midum aliquem ac insolentem
qui libidinem solum dominan-
di causam belli habet, & ma-
ximam gloriam in maximo Im-
perio ponit. ecce tibi medi-
camentum salutare ex historia
Sæpè & contëptus hostis cruen-
tum certamen edidit, & incliti
populi Regesque perleui momen-
to vioti sunt. Et simul educ
Xerxem in aciem quinquagies
& bis ceteris octoginta tribus
militum milibus (Herodoto
teste) superbium sex millium,

Herod.
lib.7.

Liu.l.30
& 45.

32 *De fructuosa ratione* de
omnis generis nauium classe illi
maris quasi dominum . Asiam &
Europæ ad Hellespontum pon-
te coniungentem ; & docer-
tantas copias exigua Spartano-
rum manu ad Thermopylas , p-
Duce Leonida , remoratas b-
classem ad Salaminem consili-
ac prudentia Themistoclis de-
pressam , tam elati animi re-
gem vna scapha trepidè elap-
sum , domi à suis miserè con-
fossum . Da mihi iterum ful-
tum aliquem ob res secundas
exultantem , vel infida fiducia
in principum gratia se extol-
lentem , ecce tibi validum ex-
historia antidotum . *Simul par-*
ta & sperata decora vnius ho-
ræ fortuna euertere potest, no-
lite præsenti credere fortunæ,
cum quid vesper ferat, incer-
tum est. Si rideat probè mo-
nentem , & dulcia hæc corru-
ptus stomachus respuat reme-
dia . ecce tibi amara que mor-
deant

deant. Polycrates Tyrannus
 ille Samius, ab Oronte captus
 & in Michaleſi montis vertice
 cruci adfixus. Seianus Tybe-
 rianum illud mancipium, in
 Gemonias vno tractus & a
 populo maximo ludibrio ha-
 bitus in Tiberim tandem mif-
 fus. Sed hos attuli ut animo-
 rum medicinæ gustum aliquem
 ex historia darem: nunc cor-
 poris etiam aliquem dabo. Ex
 cute Annales, & intelliges Al-
 phonsum Hispanię regem va-
 letudinem, quam ei ex Hippo
 a crate suo vel Galeno restitue-
 re medici non poterant, soli sponges inter.
 Litij lectione recuperasse; Fer-
 dinandum Sicilię, quem despe-
 ratæ sanitatis indicarant medi-
 ci, Q Curtij sola lectione re-
 creatum atque refectum.
 Magnum illum Laurentium
 Medices, Medicæ artis frustra
 adscitis subsidijs, vnicā illa-
 quæ de Conrado III. Impera-

Historia.

*morbis cor-
poris inter-*

dum mede-

per.

34 De fructuosis ratione
tore in obsidione Guelphi Ba-
uariae Ducis fertur histotia , fa-
nitati restitutum . Sed quem-
admodum si gubernator pla-
cido mari vehatur . nullo ad-
mirante illaudatus & inglorius
subibit portum ; sic nec me-
dico in explorando morbo hi-
storię ullus usus , cum æger vo-
te , & confessione artem iuuat.
at si tegat , dissimulet , hic la-
bor , hoc opus , hic status re-
rum quo historia adhibenda
in consilium . solius enim pru-
dentiae anchora sustineri po-
test fluctuans hoc nauigium .
Prudentia sola , quæ quasi The-
seo filo diriget te in hoc laby-
rintho , & ducet ad occultum
morbi centrum . Quam non
in ciuili ac militari modo re-
sed etiam in hac medica posse
haurire ex antiquitatis hoc fo-
re , Principis Philosophi pru-
dens nepos , doctissimus ipse
medicus , mihi testis . Antio-
chus

chus Seleuci regis filius incre-
dibili Stratonices amore fla-
grabat, ostium pectoris nulli
mortaliū recludebat, inedia
mori destinabat. Vocantur
peritissimi medici, artis præ-
cepta omnia adhibent, nihilq;
intentatum relinquunt, quo
occulti morbi huius causam
eliceant; tandem desperatae sa-
nitatis Antiochum iudicant.
Solus Erasistratus; Aristotelis
ex filia nepos, mentem cana
hac prudentia imbutam gerens
ex sola ad ingressum & egres-
sum Stratonices coloris muta-
tione, morbi causam depre-
hendit. At non satis morbum
ipsum cognoscere, oportet ex
arte applicare remedium: quod
appositè sèpius non faciet ipse
Galenus, nisi mente m habeat
cana hac historiarum pruden-
tia imbutam. Etenim ut in te-
lis eadem ferri vis est, sed mul-
tum interest utrum excusso la-

cer-

38 *De fructuorum et venenorum*
certo torqueantur, an remissa
manu effluant, à viro vel pue-
ro veniant; sic licet idem sit re-
medium quod datur, interest
tamen quām maximè quomo-
do applicetur. quinimò quem-
admodum folia virere per se
non possunt, ramum de sive-
rant cui inhēreant, ex quo tra-
hant succum; sic medicæ artis
præcepta, si sola sint, marcent
infigi volunt in veræ pruden-
tiæ raimo. *Multa & ignoran-*
tibus egris curanda sunt (in-
quit Romanus Sapiens) &
multis mortis causa morbum
suum nosse. adde & eam sæpè
egrorum esse conditionem, ut
remedia respuant non secus ac
venena, neque ideo medico
satis est cognoscere ex arte,
quid usui futurum, nisi Pru-
dentia suggerat, quomodo na-
turæ ac conditioni uniuscuius-
que inseruat. Et facile id o-
stendi potest in lucido histo-
ria-

riarum speculo , perprudens
 illud prudentis medici factum
 in puella regia curanda, abhor-
 rebat illa sectionem , & ille
 sine ferro curare non poterat .
 Quid egit ? dum tumentem
 mammam leniter fōueret , scal-
 pellum spongia tectum indu-
 xit , & ita incidit . Nec diffi-
 mile huic solers illud solertis
 medici consilium in phrenesi
 tollenda . dabat operam cui-
 dam ægro , qui cibum capere
 nolebat , eo quod se mortuum
 diceret . submisit qui sub eius-
 dem insanæ specie propter il-
 lum in lecto collocaretur ; &
 cum se mortuum clamaret , ci-
 bum nihilominus non recusa-
 ret . graphicè agit personam
 personatus hic insanus . ille qui
 vera insania laborabat , rogauit
 statim an mortui etiam ede-
 rent ? adfirmat alter . atq; hoc
 dicto cœpit magis cupidè man-
 dere . Quo exemplo ductus

Lycost.ia
 The. hum
 vit .

38 De fructuosa ratione
neticus, & ego quoque mor-
tuorum more pransurus sum,
inquit. confessum itaque cibum
sumere caput, paucisque inter-
iectis diebus ex medici sen-
tentia morbo liberatus est. Hæc
& similia si ex historijs obser-
uauerit medicus, quemadmo-
dum ei qui iaculari discit, satis
est initio, si manum formet ad
certum locum, postea cum
hanc viam ex disciplina & exer-
citatione percepit, quocumq;
voluerit arte ea usuros; sic fa-
cillimè exempla hæc ad alia
quævis transferet, nec moni-
torem in singulis requireti. Quo
constituto, quis ille bucco qui
neget magnum cum adiumen-
tum, tum ornamentum etiam
medico accedere ex historia
præfertim si legerit libellum
Ioannis Schenckij in quo col-
legit historias pertinentes ad
artem medicam.

CAPVT VII.

*Fructus quem Philosophus
decerpit ex histo-
ria.*

CVm philosophia sit animi morborum & affectionū medicina ; idcirco ne aliquem hic nomen illius fallat , seriò præmoneo , non intelligere me illam squalidam , & personatam , quam vulgus hodie tantūm nouit , & quæ malis scrupis , malis tribulis semitam ad legitimam illam diuam im- pleuit , in nugis quibusdam Scholarum abusus. Sophisticis sibi placet , in eo supercilium attollit , prauis captiunculis ingenia torquet , imò corrumpit . Sed veram illam , splendidam , ac claram reginam , quæ mores componit , animum format , nihil opinionis , omnia conscientiæ

Philosophia parsqua ad meres pre-eipua vel potius sola

40 *De fructuosa ratione*
causa facere docet, virtutes ostendit in vero suo vuln, ad festibus frænum iniicit, mentem à corpore deducit, animum Deo ac rectè rationi subijcit, & animo ceteras res humanas. Maximè quę docet, beatum non eum esse, quem vulgus appellat, ad quem pecunia magna confluxit ; sed illum cui bonum omne in animo est erectum & excelsum & mirabilia calcantem, quę hominem ea sola parte æstimandum docet, qua homo est, id est qui natura magistra vtitur, ad illius leges componitur. sic viuit quomodo illa præscripsit ; quę aliqua vis mouet, nulla perturbat . Et hac distinctionis face sic prælucente, adserimus ut arbori radicem si amputes, truncum sine succo relinques: sic Philosophiam sine nervis, si ab ea auferas historiæ venam . Cui rei probandę nihil opus est

vt

ut laborem, nam ipsi Philosophi non pedibus modò, sed vtraque manu in hanc sententiam eunt, historiam philosophiæ fulcrum agnoscunt. *Longum iter est* (inquit magnus Philosophus) per precepta; breve & efficax per exempla, id est, magis paucis mentes humanæ exemplis, quam verbis mouentur plurimis, hæc autem talia quid aliud docent, quam cohibere affectus, ingenerare virtutem, & quæq; asperrima æ quo animo ferre . *Ex istis*, inquit idem Sophus, quæ terribilia videntur, nihil est invictum . Singula vicere iam multi, ignem Mutius, crucem Regulus, venenum Socrates, exilium Rutilius, mortem ferro adactam Cato: & nos vincamus aliquid Rursus ista quæ ut speciosa & felicia trahunt vulgum, à multis & sèpè contempta sunt. *Fabriceius Diui-*

*Exempli
opime d
etur.
Seneca e
pistola*

Epiſt. 98.

42 De fructuosa ratiōne
tias Imperator reiecit , Censor
notauit . T ubero paupertatem
& se dignam & Capitolio iu-
dicauit . Honores repulit pater
Sextius : qui ita natus ; ut
Rempub. deberet capessere , la-
tum clauum Diuo Iulio dante
non recepit . intellegebat enim ,
quod dari posset , & eripi posse .
Nos quoque ex his aliquid fa-
ciamus animosè : Sed vt & alijs
persuadeamus aut propona-
mus , monet nos in Oratore
Cicero in
Oratore , magnus Orator . Cognoscat O-
rator rerum gestarum & me-
moriae veteris ordinem , maxime
scilicet noctra etatis . sed &
imperiorum populorum & re-
rum illustrium , quem laborem
nobis Attici nostri leuauit labor
qui conseruatis notatisque tem-
poribus , nihil cum illustre præ-
termitteret , annorum septin-
gentorum memoriam uno libro
colligauit . Nescire autem quid
antequam natus sis , acciderit .
id

id est semper esse puerum. Quid
 enim est ætas hominis? nisi cum
 memoria rerum veterum cum
 superiorum etate contexitur.
 Cōmemoratio autem antiqui-
 tatis, exemplorumque prolatio
 summa cum delectatione, &
 autoritatem orationi adfert &
 fidem. Hæc ille. Quam alte!
 quam aptè ad nostram men-
 tem! nunquam probiūs Phi-
 losophum vult fungi munere,
 nisi cum exemplis ex omni me-
 moria peritis doctrinam illu-
 strat. Quis igitur tam hebes,
 qui iam non capit Philosophū
 mutum qui de historia filer?
 quis tam fatuus, qui fatuum
 me non iudicer, si rebus tam
 claris probandis diutius im-
 morer. modo iuuenes sint hi-
 storiarum cognitione exacte
 imbuti, anteaquam ad altio-
 rem aliquam se conferant di-
 sciplinam. aut si qui tempe-
 stiuūs huc se præcipitarunt,

*Ahortatio
ad historiæ
rum lectio-
nem.*

44 De fructuosa ratione
eos post hac aliquam diu se-
riam operam antiquitatis co-
gnitioni volo impetriri, nec
antea se iudicare idoneos, qui
ad metam tendant.

CAPUT VIII.

*Quæ contra historiam dici
possunt breviter al-
lata.*

Diximus omnem virtutem
in duas partes, contem-
plationem scilicet veri, & actio-
nem, diuidendam : hancque
illi omnium sententia præfe-
rendā esse, quam sine Prudē-
tia dirigi nō posse, nemo sanè
est qui non existimet. Pruden-
tiā vero ex euentu rerum
esse, itidem apud omnes pru-
dentes in confessio est. Sed e-
uentum nusquam melius co-
gnosci quam ex historia, ne
ego quidem ipse concedere
pos-

possim. cum sciam uti ex spon-
gia succum aliquem liquoris
facilè exprimas , nunquam fe-
cundam scaturiginem . sic ex
historia guttulas fortè aliquot
Prudentię , nunquam diuitem
venam . Et quidem quæ ma-
gna Prudentia est scire quorū
nauibus Græci vñerint ad opCuriose cr̄t
ticorum cr̄t
pugnandum Ilion. Vtrum Ro-
mulus aut Remus Amulij im-
perio in profluentem proiecti,
beneficio Faustuli pastoris regij
collecti, seruati sint ac edu-
cati, ut vulgus scriptorum tra-
dit. An vero suppositiij infan-
tes ad Amulum delati , eius
que arbitrio necati sint, gemi-
ni vero procurante Numitore
auo materno Faustulo com-
mis̄. Vti insinuat Halicarnas-
sæus . An ipsa Silvia à partu
leuata , & stupri rea patrui iuf-
su viua fuerit defossa ; an in-
carcerem deprecante Antho
Amulij filia coniecta, indeque

Amulio imperfecto , filij Romuli bene ficio crepta, ac restituta ? An Remus in pugna ceciderit , an vero dum nouæ vrbis vallum irridet, iussu fratris interemptus? Quis primus Romæ triumphauerit , quando introducta Ouatio ? Quis primus Dictator aut Magister equitum? & alia deinceps huiusmodi note , quæ siue contineas , nihil tacitam conscientiam iuuant , siue proferas , non prudentior videberis , sed molestior. quis vnquam quod illa non teneret , aut etiam negligeret , minus propterea vir bonus aut minus utilis patriæ ciuis æstimatus est , Quid horum ad prudentiam viam sternit , causas rerum aperit ? Quid nobis in vita expendum aut sequendum , quid declinandum aut fugiendum docet ? quid ad exploranda hostium consilia , quid ad du-

cendum exercitum , ad ordi-
 nandam aciem , compescen-
 dam seditionem , dissoluendam
 metum iuuat aut prodest:
 audite e sapientia penetrali
 Romanum Sophum , quicun-
 que in his tricis vobis placetis
 & erubescite. *Quid annos Pa-*
trocli & Achillis , inquit , in-
quirere ad rem existimas per-
tinore ? Quæris Vlysses ubi er-
rauerit potius , quam efficias
ne nos semper erremus ? non
Vacat audire utrum inter Ita-
liam , & Siciliam iactatus sit ,
an extra notum nobis orbem
neque enim potuit in tam an-
gusto error esse tam longus .
Tempestates animi nos quoti-
die iactant , & nequitia in om-
nia Vlyssis mala impellit , non
deest forma , quæ sollicitet ocu-
los , non hostis : hinc monstra-
efferat , & humano crurore gau-
dentia ; hinc insidiosa blandi-
menta aurium : hinc naufra-

Seneca c.
pistola 88

48 De fructuosa ratione
gia, & tot varietates malorum
Hoc me doce, quomodo patriā
amem, quomodo uxorem, quo-
modo patrem, quomodo ad hæc
tam honesta vel naufragus na-
uigem. Quid inquiris an Pe-
nelope impudica fuerit ?, an
verba sæculo suo dederit, an
Ulyssem illum esse, quem vide-
bat ante aquam sciret suspicata
fit ? Doce me quid sit pudicitia
& quantum in ea bonum: in
corpore an animo posita sit. Sed
de Græcis fortasse ista scriptos
ribus dici putas, apud quo-
quid rogo tam fidum ut secu-
rus expecces ? qui perpetuum
illud litigandi studium inter-
se se mutuo reprehendētes ob-
seruant, adeò ut nihil firmiter
scientes videantur tradidisse,
sed quod quisque opinatus est,
id posteritati persuadere voluīs-
se. ut non vanè eos tali elogio
Poeta ornarit

- - - - - & quidquid Græ-
cia.

cia mendax

Iuuenal.
Sat. I.

Audet in historia

Cui , si fidem eleuas , addam
à grauissimis viris pondus *A-*
pud Herodotum (inquit vnus)
historie patrem , & apud Theo-
pompum sunt innumerabiles Cic. de
fabulae . cui consentit pulchrè
alter , Græcis historijs plerum-
que poetice similem esse licen-
tiam adserens : Similiter Di-
uus Hieronymus cum de Græ-
corum historijs loquitur Non
debemus , inquit , eorum au-
toritati acquiescere , quorum
mendacia detestamur . Et iure
sanè , nam Xenophon inter pri-
mi ordinis scriptores philoso-
phus quid non singit , dum Cy-
rum nobis describit ? Dio per
omnes honorum gradus bis ad
Consulatum euectus , quam
peruersa de Cicerone , Bruto ,
Cassio , Seneca , & omnibus se-
lectis Romanis iudicia protu-
lerit : Sed & Romani scripto-
res

Cic. de
ieg. I.

Quint. li
2. institu
Orat. ca

4.

In 27-ca
Ezech.

res quales fuerint? Vide Flau-
uius Vospicus cùm ipsem et hi-
storiā scribebat, fateri tamen
non veretur, nullum historiæ
scriptorem esse, qui non sit a-
liquando mentitus, multaque
in Liuio, Sallustio, Tacito,
Togo esse, quorum fides ma-
nifestis testimonijs labefactari
posset. Vnde fidenter se ac-
cingi ad scribendum historiam
ait, quandoquidem habiturus
esset mendaciorum socios. Vel
leium Paterculum, Iustus Lip-
sius, & Ioannes Bernartius tan-
quam scđissimum adulatorem
execrantur. quod Aelium Se-
ianum, bonorum exitio natum
monstrum. quasi supra homi-
nes extollat. Ar Iosephum hi-
storiæ Iudaicæ principem
multa ex diametro cum sacris
litteris pugnantia tradere scio.
Eusebium Cesarensem, inter
Ecclesiasticos scriptores cele-
brem, à Patribus VII. Synodi
Aria-

Ariane hæreſeos defensorem
 iudicatum Bernartius putat. *Act. 6.*
 Zozomenum historiæ triparti- *Greg. lib. 6.*
 tæ columnen magno Gregorio epist. 31.
 iudice mendacem, & Theodo- *I. Sancta*
 rici hæretici patronum. Socrati- *Rom. eccl.*
 tem Nouitianorum hæresi ma- *dist. 15.*
 culatum. Iulium Africanum
 à Gelasio Pontifice damnatum.
 Paulum denique Iouium tan-
 quam mendacem, & maculis
 aspersum, cum à pluribus alijs
 tum maxime à Bartholomæo
 Kickermano reiici. *Quis enim*
 non rideat, eos qui interiori
 principum consilio (quales
 plerique sunt historici) nunquam
 fuere adhibiti, res nullas ma-
 ioris momenti tractarunt, sed
 commentitias ac vulgo & fo-
 renibus sermonibus iactatas
 causas tantum cognoverunt,
 maiori nescio temeritate, an-
 impudentia, de summis Re-
 rumpub: moderatoribus sen-
 tentiam ferre; & cum nullam
 Rei-

Reipub: partem vnquam attigerint, nedum vltra crepidas
futores, vt in Adagio est, sed de coloribus cæci iudicat. cùm
nunquam castra, nunquam
acies viderint, tamèn in amicorum circulis imò (vt mag-
nus olim Imperator conque-
rebatur) etiam in conuicijs
mil. apud exercitus ducunt, vbi castra
Liu. locanda sint sciunt, quæ loca
præsidijs occupanda, quando,
& quo saltu intranda Macedo-
nia, vbi horrea ponenda;
quæ terra, mari subuehantur
commeatus, quando cum
hoste manus conferendæ, quan-
do quiescendum sit, sciunt.
neque quid melius facien-
dum sit modo statuunt, sed
quidquid aliter quam ipsi cen-
suere factum est, Consulem
veluti dicta die accusant: de-
nique cum ocium vrbanum
militiæ laboribus præferunt, e
terra tamen gubernare volunt

Quis

Quis igitur non videat , quam
ineptum sit , tam insultis præ-
ceptoribus te committere , &
his ducibus ad Prudentiæ cal-
cem velle pertingere ? At cer-
tè exempla continentiae , fruga-
litatis , temperantiæ , aliarum-
que virtutum historiæ suppe-
ditabunt , inquis , omnesque
ad laudem & gloriam hone-
stissimis factis extimulabunt .

Quæ obsecro frugalitatis , ac
continentiae exempla ? Sarda-
napoli , Caligule , Neronis ,
Commodi , aliorumque simi-
lium belluarum non homi-
num foedæ libidines , & abo-
minanda facinora , quæ tam
accuratè à plerisque historicis
describuntur . Eiusmodi autho-
res utinam solum non prodef-
fent : nocent , & rectissima-
ingenia corrum punt , multa-
que praua ac vitiosa nunquam
audita aut visitata docent .
Consultiusque esset sicut ma-

54 *De jure et iuris iuris*
ximus ille Plato Poetas, quod
molles leuesque lectores fa-
cerent, è Repub. sua ele-
cit, historicos hos menda-
ciorum conflatores, omni
rerum usu destitutos
deliros Phormio.
nes, ac ve-
rè
vitiorum Magistros
eijcere & ex-
termina-
res.



CAPVT XIX.

Refutata ea quæ contra
historiam allata, & si-
mul ostensum qui
Historici op-
timi.

Non quamlibet Historiam
ad Prudentiam prodeesse
& ego cum aduersarijs luben-
ter ac volenter fateor, dum
certocertius sciam, vt non
quamuis terram venam habe-
re latentium aquarum, sic nec
historiam promiscuè secundā
Prudentiæ scaturiginem, sed
multos illarum autores esse
vanos, leues, & nullius seriæ
curæ ac fidei, attamen non
omnes. Et si Dionem illi ex
Græcis, Herodotum, Xeno-
phontem proferunt, Thucydi-
dem, Polybium, Plutarchum
ego oppono, qui legitimam
hi-

*Thucydide
optimus
scriptor.*

Verus.

*Marcelli
vita Thu-
cydid.*

*Ab affecti-
bus immu-
nis.*

56 De fructuosa ratione
historiae viam viderunt, & fixo
pede peragrarunt. Thucidides
sanè fidus omnino scriptor, &
quem principem Senatus hi-
storici, si mei arbitrij res foret
cum prudentissimo Lipsio le-
gere non dubitem. Si in scrip-
tis eius veritatem habitare di-
xero, ipsam non dubito quin
suffragantem sim habiturus. In
exilium electus à suis Athe-
niensibus (quod maximis ferè
quibusque viris contigisse do-
leamus) ita tamen scripsit, vt
ne exul quidem ullo male erga
Atheniēses affecti animi indi-
cio sua scriptra adsperserit, imo
adeo veritatis amans ac mori-
bus moderatus, vt ne Brasida
quidem (qui calamitatis auto-
ipſi fuerat) usquam in sua hi-
storia præ ita aut odio maledi-
xerit, & infestissimum sibi Pe-
riclem non solum à calumnijs
vindicauit, sed prudentię alia-
rumq. virtutum nomine syn-
cere

cere commendauit . Omnes vide Thu-
vero dicendi artificio (vt Tul- cyd lib.2.
lij verbis vtar) mea sententia Cic.d.Tu-
facile vincit: & ita creber est cyd. 2: de
rerum frequentia, ut verborum Orat.
propè numerum; sententiarum Eloquens.
numero consequatur, ita por-
rò verbis aptus ac pressus , ut
nescias vtrum res orationes,
an verba sententijs illustrentur.
Quæ in causa fuisse existimo,
quod Demosthenes propriæ
manu octies eum descripscerit .
Et quod aduersarij maxime
in historicis requiri volunt, no Idoneus in
ster Thucydides regia stirpe dex.
clarus ac illustribus planè ma-
ioribus ortus , rebus gerendis
non solum interfuit, sed præ-
fuit , & in bello Peloponensi Polybi⁹ ih̄i-
legationes & Præturas obiuit. Historia pro.
Similiter Polybium in ciuili ac b̄a.
militari disciplina diutissime
se exercuisse , magnam Euro-
pæ partem , Oram Africę , &
Asiā minorem , ut populorum
mo-

58 De fructuosa ratione
mores intelligeret, per agrasse
denique, quod maximum est,
magni Scipionis Africani mo-
deratorem, ac bellorum ubiq.
socium fuisse, nemo vel in-
vestibulo adhuc antiquitatis
constitutus ignoret. Veritatem
certè, & salutaria monita si in
eo desideras, aquam in pro-
fluente quæris. Nec nostro quo

Ridicula Plus. que præconio indiget Plutar-
chus; qui nedum in ipsa Prin-
cipum aula diutissimè vixit, sed
Imperatoris Traiani modera-
tor ac Istriæ etiam Præfectus
extitit, si quis alias rerum op-
timus iudex. Nec nimium
quoque deprimendus est Xe-
nophon circumspectus sane
scriptor, qui non ad historiaz
fidem Cyrum nobis descripsit,
sed ad effigiem iusti Imperij.
Dionem Cassium & Herodo-
tum apud antiquitatis peritos
confregisse tesseram largior, sed
fateor, & probatae quoque fi-
dei

dei historicos apud Gr̄ecos esse
quos vide apud Lipsium in
Notis ad Polit. apud Latinos
autem multo plures, ac inter
eos Liuius à Flavio Vopisco
reprehensus, ita ab affectibus
liber, ut historia illius diuul-
gata, præcipue quæ bellum il-
lud ciuale inter Pompeium, &
Iulium continet, plurimi San-
cto Hieronymo teste ex vlti-
mis Hispaniæ, Galliarumque
finibus viri illustres Romain
venerint vel ob hoc solum, ut
Liuium nostrum tantis animi
dotibus clarum contuerentur,
de quo Tacitus ipse, *Titus Li-
uius eloquentia ac fidei præcla-
rus in primis.* *Gn. Pompeium*
*tantis laudibus tulit, ut Pom-
eianum eum Augustus, cum*
quo arcta familiaritas Liui
intercesserat appellari. Sed ip-
sum Tacitum videamus, qui *Taciri hi-
storias probatissimas,*
historiam rerum gestarum à
Tiberio usque ad Neruam tam

*Liuius de-
fenses.*

60 De fructuosa ratione
accuratè, verè, ac prudenter
descripsit, vt equi rerum aesti-
matores non solum seminariū
salubrium præceptorum histo-
riam eius esse, sed nihil vñquā
accuratiū ab ullo historico
scriptum fateantur. Et ne eum
vt priuatum asperneris, floruit
ille diutissimè in militari vrba-
naque disciplina. Procurator
datus Gallię Belgicę à Vespasiano,
Prætura deinde, imò
imperante Nerua Consulatu
auctus, historiæ scribendæ se-
nex demum vacauit. Excepit
*De Ammia
no nostra
sententia.*
filum historiæ eius Ammianus
Marcellinus; quam licet operis
laude non pertexuit, tamen
cùm in Gallia, & Germania
sub Iuliano Imperatore, mul-
tos annos militarit, aequo ait,
de multis bellis à se descrip-
tis interfuerit, ne hunc quoq;
reiicie Prudentiæ candidati.
Virtutes certè ac vitia Princi-
pum sine affectu notata vide-
bi-

bitis, & sic præcipuo (Tacito qnidem iudice) annalium mu-
uere probè eum functum, ac defunctum obseruabitis C. Sal-
lustium præteream? absit. eten-
nim hic ille est de quo, ut mul-
ti perhibent, magno applausu
hi versiculi Romæ circu mlati
sunt.

*Hic erit, ut perhibent, do-
ctorum corda virorum,*

*Crispus Romana pri-
mus in historia.*

&, ut legitimi quique cen-
sores censem, verè suo merito
Sed ò nimiam profecto studio.
rum iacturam! paucula tan-
tum fragmenta ex diuite hoc
historiarum thesauro habemus
quæ tanquam probatissima
innes probi probant. Agmen
mihi claudat magnus ille Cæ-
sar, qui res à se gestas tanta
elegantia (quod Plutarchus
adfirmat) conscripsit, ut huius
ampliandæ materiæ studium

Plu. in
Cæs.

62 De fructuosa ratione
sumere sibi nemo sit ausus, in
posterum. Fidem in historia
ciuili à nonnullis scio deside-
rati: dictionem quoque eius
ab imperito aliquo nebulone
imperitè iam video interpolata-
tam, pannos sæpè huic purpu-
re insiros. Verumtamen,
quod ex parte præcipue nunc
spectamus, hic de exercitu (vt
Tullij sententiam usurpem)
de castris, de agminibus, de-
signorum collationibus, de
opidorum oppugnationibus,
de commeatu, de insidijs fa-
ciendis, de reliquis rebus quæ
sunt propriè belli administran-
di, sententiam tibi feret quis-
quis es Imperator. Cæsari co-
mitem do Q. Curtium, quem
adeo inter selectos recensere
non dubito, vt inter optimos
illi locum fiderenter tribuam.
Velleum qua res tractat sūt
qui, à veritatis orbita defle-
xisse, cum ab alijs, cum præ-
ci-

Cit. 2. de
Orat.

Curtij histo-
ria proha.

cipue, à Lipsio scio. Iosephum
 sepius cum sacrarum litterarū
 autoritate pugnare recte obij-
 citur. quomodo etiam à seip-
 so interdum discrepet, vel alijs
 certioribus testimonis erroris
 arguatur, obseruauit diligen-
 ter Cesar Baronius, nec ideo C. Bar. An
 tamen vterque spernendus. Tom. I.
 Nam Velleius alias disertus &
 industrius: Iosephus adeò lau-
 datus scriptor, ut Hieronymus Epist. 22.
 honoris causa Liuii in Gr̄ecum
 eum appelleat. In historia Eu- De Eusebio
 sebij, quem obijciunt, pluri- sensatio ne
 mos esse nauos non me latet,
 vestigia quoque Arianismi pas-
 sim noto: magni tamen labo-
 ris, varie lectionis eum fuisse,
 nec leue omnino illius iudicium
 esse; presertim in Chronicis,
 ab equo quoque iudice nullo
 negotio impetraturum me
 confido. Sozomenum à Gre-
 gorio damnatum video, & So- Lib. I. de
 cratem, vti super hanc rem utilit. hist.

64 De fructuosa ratione
plura ipse Ioan. Bernartius, sed
non desunt interim alij me-
lioris notæ historici, qualis est
Euagrius Scholasticus, Nice-
phorus, Cassiodorus, Maria-
nus, & vt denique ad noströs
veniam, (neque enim omnes
recensere propositum) cum
suis successoribus Abrahamo
Bzouio, & Odorico Reynaldo

*Annales
Baronij co-
mendati.* Cæsar Baronius, quos adeò su-
pra omnem nonitiam, & ad
priscam laudem iudico, ut pal-
mam eos omnibus erepturos
existimem, qui in Ecclesiastica
historia hactenus quidquam
tentarunt.

*De Paulu
Touij senten-
cia.* De Pauli Iouij ca-
pitate Quirites in suffragium iuif-
se video : & si calculos nume-
reim, nigros plusculos reperiā,
sed quos omnes superabit vni-
cus Lipsij favor, nec temerario
iudici Gorreo Parisiensi, aut
alio cuiquam credendum, qui
historias eius cum Amadisi fa-
bulis componit, Stylum cer-
tè

tè eius & scribendi methodū ,
non culpabit quisquam incul-
patus . Franciscus Guicciardi-
nus iudicia magis prona, ma-
gis amīca experitur , nec ego
contrauenio . Noui etenim
hunc virum a Leone Decimo
Pont. Max. legionibus sacris &
prouincijs Ecclesiasticis cum
summo imperio præfetū,nec
ea propter inidoneum iudi-
cem . Video quoque ab adfe-
ctibas immunem fuisse (si pla-
ne ab odio) utilia certè Pru-
dentiæ candidato monita,quæ
sæpius interserit , non negabit
nisi imprudens . Huic Philip-
pum Cominæum , etiam in
Rep. administranda , in bellis
in legationibus obeundis clá-
rum , & felicem adiungo . Pau-
lum Aemilium , inter mediæ
ætatis scriptores , & Nicetam
Choniatem legite vos Politici
inqnit decus Belgicæ gratiam
mibi aliquis pro iudicio habe-

*De Fr. G. Giac-
ciardino.*

*Cominæ et
ratus.*

*Lip. i Not.
Polit.*

66 De fructuosa ratione
bit, certe debebit. Sed nec
Varseuicum nostrum, aut Mar-
tinum Cromerum spernite;
iniquè à Kickermano in Cō-
mentario de proprietatibus hi-
storiæ spretos, cum sit vterque
à politioris litteraturę homini
bus commendatus; maximè
posterior ille à Robortello vi-
ro non per Italiam solum, sed
per Europam animi dotibus
clarissimo, qui suæ historiæ e-
pistolam cum certis & veris
historiarum preceptis, à reme-
tario iudice isto laudatis à
Cromero autem nostro ob-
seruaris, vel amicitiæ tesseram
vel elogij monumentum præ-
mittere voluit. Apud Varse-
uicum vero, & res & narratio
ipsa distincta, composita ut
quiq; bonus fatetur sine vanira-
te, sine ineptijs, præterea, crebra
apud eum monita, & oppor-
tuna in omnibus scriptis, iudi-
cia non libera solum, sed sana.

Quod

Quod autem inquiunt, Prin-
cipum vitia, & improbos quos
que mores distinctè historici
notant, atque sic in legenti-
bus vitia promouent, hoc stu-
tum est opinari. nam faciunt
quidem illi, sed non nude in-
spicientibus proponunt, verū
mercedem vitiorum vñā tibi
ingerunt: ut quorum exitum
reformidas, eorum vitam de-
testeris. Describunt tibi hi-
storici Sardanapalū inter scor-
torum greges purpuram colo-
nētem, & muliebri habitu pen-
sa inter Virgines patientem;
sed ijdem illi mox quam fœ-
dum hæc fœda voluptas exi-
tum hahuerit; id est ferrum
& flammas docebunt. Siculum
illum tyrannum supra, rapinas
cædes multis annis pro ludo
habuisse alibi leges: sed ma-
gnum illum regem inox à re-
gno ad ludum detrusum, pro-
icepto ferulam gerere vide-

Historici
recte obser-
uant vitia

Nam infa-
mis iniici-
unt merū
& penam
qui deter-
reare adi-
ciunt.

Dionisij pse-
nitio.

Domitiani

bis. Domitianum in omne
hominum genus serarnm mo-
re grassatum, dominum se-
Deumq. dici coegisse audies
sed monstrum hoc inter con-
iuratorum manus quoque sc-
dè confossum intelliges. Com-
modum libidine, auaritia, cru-
Commodi, delitate fœdissimum notabis
sed eundem ad extremum in-
balneo compressis faucibus ex-
spirasse, & palestritæ manu-
misere perijisse, obseruabis.
Denique ne longius euager,
reuolue historicos, & intelli-
ges, neminem scelus in pe-
tore gestare, qui non idem
Nemesim in tergo. Atque sic
omnibus in confessu est, adeo
non egredi officij metas histo-
ricos qui Principum aliorum-
que vitia notant, nec bonos
modo veræ laudis lauro coro-
nant, sed malos quoque in-
stissimis posteritatis maledictis
obijciunt, vt (Tacito suffra-
gan-

Annal. 3.

gante) præcipuo Annalium
 munere fungantur, dum curat,
 ut prauis dictis factisque ex
 posteritate & infamia metus
 sit, docentq: quam stultum sit
 credere præsentia potentia pos-
 se etiam sequentis æui memo-
 riā extingui; & quam ridi-
 culum existimare, quia in præ-
 senti hoc rerum statu, metu
 omnes müssitant & tacent, ideo
 posteritatem scelera posse la-
 tere. contra ipsius veritatis na-
 turam, quæ talis est, vt quam-
 uis omnes illam oppugnant, ac
 nonnunquam omne verifi-
 militudinis genus aduersus eā
 pro mendacio stet, nescio ta-
 men quomodo ipsa per se in-
 animos hominum se insinuat;
 ac interdum quidem ex tem-
 pore quam sit potens ostendit:
 interdum vero, postquam diu
 tenebris obrecta fuit, tandem
 ipsa per se præualet, & ipsum
 mendacium expugnat. Sed

Veritatis
natura.

70 De fructuosa ratione
prudentiam dicunt, nullam
posse ex lectione historiarum
percipi, quod eam solus largia
tur usus, qui nimium tardus
est. ut Seneca inquit & varius.

Fateor usum seris venire ab

Sen. epist. annis ut Poeta habet, ac ideo
bar. tutorem, tritorem, magisq:

Duid. 6. obuiam ad Prudentiam viam
metamorph. esse historiam profiteor. Et si-

cuti Eudamidas olim, cum in
Academia Xenocratem iam
quinquagesinariū discentem
& cum discipulis etiam disse-
rentem vidisset, & ex adstan-
tibus audiisset illum ex eoru
numero qui virtutem quare-
rent, subridens dixit. Ecquā-
de ea vtetur, si id aetatis ad-
huc eam querit? ita cum legi-
timæ historiæ hostes solum u-
sum sibi placere iactitant, au-
ream illam Romani Sophi sen-
tentiam libenter usurpo; Quæ

Sen. de bre tam flulta mortalitatis obliuio;
it. vii. c. 4. in quinquagesimum ac sexage-

simum annum differre sana
consilia; & inde velle vitam
inchoare, quo pauci perduxerunt?
Utileissima ergo historiarum
lectio, quia non unius seculi
(quo concluditur usus) sed
omnis ævi res gestas sufficien-
ter in se continet; modo nu-
cleum queramus in illa, non
putamina, ut multi Philolo-
giæ solum addicti faciunt, &
ex omni historia nihil amplius
querunt, quam ut ocia fallant
sicuti plurimi tesseris aut pilis;
aut ad pompam solum illa v-
tuntur, non ad usum, anxiè in-
quirunt, & in id supercilium
subducunt, verum Roma ante
Romulum fuerit condita; quot
annis Aeneas cum suis errau-
rit anteaquam in Italiam ap-
pelleret; utrum superbus Pri-
isci filius fuerit, an nepos: quis
primus authoritate Senatus in
iussu populi triumphauit: cur
Auentinns unus ex septem col-

72 De fructuosa ratione
libus Romanis pomœrio non
fuerit inclusus ante Claudium
Imperatorem, & eiusdem no-
tæ alijs tricis, nec flexu modò
& tamquam a studio ad otium
quod non improbo, nec inter-
missiones hoc agi reprehendo
sed recto rigore, ac certa, vt
sic dicam, linea, & tamquam
ab otio ad studium, nec in li-
mine modo, quod in exordio
probaui, sed omni studiorum
cursu tendunt ad leuem hanc
metam. Dictorum factorumq;
illufriū adeò nulla cura est, vt
quiduis potius agant, quā id a-
gant. O nugiuendi! transite ali-
quando ad meliores curas, nec
instrumentum vitæ maximè se-
riumvertite in ludum aliquem
nugarum. Apinas hæc esse, &
tricas (vt in prouerbio ludicro
est) agnoscite; ad adyta pro-
perate, nec in aditu totam
æstatem consumite. Nauim mi-
hi ab argutiarum illis salebris

aue-

auertite, & velificationem omnem ad veræ prudentiæ portū dirigite. vberrium historicū auditę. *Ad illa, inquit, mihi* Lio. lib. 1
pro se quisque acriter intendat
animum, quæ vita, qui mores
fuerunt; per quos viros, qui-
busque artibus domi militiæq;
& partum & auctum Imper-
rium sit. Labente deinde pau-
latim disciplina, velut dissiden-
tes primo mores sequatur ani-
mo: deinde ut magis magisque
lapsi sunt, tum ire cæperint
præcipites donec ad hæc tempo-
ra, quibus nec vitia nostra,
nec remedia pati possumus, per-
uentum est. Hoc illud præci-
pue in cognitione rerum salu-
bre ac frugiferum, omnis te
exempli documenta in illustri
posita monumento intueri. in-
de tibi tuæq; Reip. quod imitere
capias, inde fœdum incœptu,
fœdum exitu quod vites. Au-
rea profecto, & Liuio nostro
di-

74 De fructuosa ratione
digna præfatio. Vos eam qui
legitis admissam non in aures
solum, sed in animum, re &
opere exprimite, & veram
hanc ad Prudentiam semitam,
non vacillante, sed firmo pe-
de peragrate. Scitote hanc il-
lam esse Prudentiam quæ vi-
gilijs augescit, & cui subinde
ceu fluminibus ex decursu, sic
accedit ex varia lectione mi-
nutatim, quo fiat vberior. Non
adspeta historia statim con-
tinget, sed inspecta; opulentis-
simis siquidem metallis similis
est, adsidue magis respousura
sodienti. Vos inquirite, consi-
lia, dicta, facta obseruate, & ex
ijs bene sentiendi, bene dicen-
di, ac bene agendi præcepta
colligite.

CAPUT X.

Legitime historriæ definitio,
laus & modus scri-
bendi.

HIstoriam diuersi autores
diuersè in suis Opuscu-
lis descripsere, sed præcipue,
Thucydides Græcus, qui appellat eam, *thesaurum perpetuum exemplorum, & expressum imaginem, ac quasi specu-
lum humanæ vite, ad omnia
mundi tempora congruens, cum
humanos casus proponat, qui
velut in orbem sui similes ali-
quando redeunt, cum non res
sed personæ, hominis, loca, &
tempora saltem notentur, & ad-
didit, donec durabit eadem*. Lib. 1. Belli Peloponnesi
*rerum natura, similia multa
fieri necesse est. Vnde non im-
merito à Brouio virtutum ac
viciorum diligens ac perspicua* Florū Au-
reō. cor. 2. post Epi.
de-

Naz.ad Nī demonstratio vocatur à Naziā-
cobolum. zeno autem , conglobata quæ-
dam & coaceruata sapientia ,
hominumq; multorum mores
in vnum collecti . Hęc enim
ipsa totius antiquitatis memo-
riam renouat , infinita rerum
memorabilium exempla oculis
penè subiçit , casus varios , e-
uentus ancipites exponit , pru-
dentum consilia , & fortium
hominum præclara facta com-
memorat , temeritatis , & a-
mentiae exitus diros & exitia-
biles enarrat , atque planè de-
monstrat quibus artibus à par-
uis virtutum īitijs , homines
ad summum fastigium perue-
nerint , quibus clari & euase-
rint , & diu permanferint : qui-
bus deinde vitijs paulatim lapsi
sint , atque tandem funditus
eierint corruerint . Quainobrē
licet gloriosum sit res illustres
gerere , non minus tamén ar-
duum putandum est , ita res ab
alijs

alijs gestas scribere , vt facta
dictis exequantur, quæ si à ma-
gnis , & illustribus per Com-
mentarios digeruntur , multo
maiorem lucem & famam a-
pud posteros consequuntur .
Quis etenim Alexandrum M.
nōsset , nisi de ipso scripsisset
Q Curtius ? Quis esset Vlyf-
ses ? nisi Homerum præconem
habuisset ? *Quis Alcibiades ,*
nisi Thucydides eum extulisset ?
Quis Cyrus , nisi Xenophon
monumentis suis res gestas il-
lius conseruasset ? *Quis Pyrrhus*
Epirotarum Rex , nisi Hermi-
clem habuisset historicum ?
Quis Scipio Africanus , si absq;
Decadibus foret T. Liuij ? *Quis*
Traianus , nisi intimus illi ami-
cus fuisset Plutarchus ille no-
bilis ? *Quis Nerua & Antoni-*
nus Pius , nisi memoriam vtrius
que Dion Græcus posteris pro-
didisset ? *Quid de magnanimitis*
facinoribus Iulij Cæfaris , quid
de

78 *De fructuosa ratione*
de rebus gestis Pompeij Magni
sciremus, nisi Lucanus illa ce-
lebrasset? *Quis duodecim nos-
set Cæsares*, nisi Suetonius
Tranquillus librum de Cæsari-
bus scripsisset? *Quid de anti-
quitatibus habere mus Hebreo-
rum*, nisi Iosephus scriptor di-
ligentissimus eas conseruasset?
*Quis aduentu nosset Longo-
bardorum in Italiam*, nisi cum
Paulus Diaconus scripsisset?
*Quid de aduentu & successi-
bus & fine Gothorum in Hi-
spania sciremus*, nisi curiosus
illa Rodericus illustrasset? Et
quis demum fortis Sarmatas
nouisset, nisi eos disertus post
alios innumeros Cromerus
mundo ostendisset? Profectò,
non ornamenta solum Rerum-
pub. historiæ sunt, sed auxilia
& fulcra, quæ ab omni ævo
Deus simul cum litteris extare
voluit, velut pharos, & lucen-
tes quosdam ignes in tempe-
stu-

stuoso mari. Quæ enim armis
geruntur, vnius ætatis sunt, at
quæ litteris consignantur, ad
ea etiam posteri obmutescunt.
In summa, & Reges & magna
illa nomina, obliuionem æter-
nam iam nunc cogitent, nisi
pennatus iste currus euchat,
& ostendat per ævum & per
gentes. Atque hinc apud Ro-
manos officium Decurionum
erat, historias scribere & anna-
les, tum res gestas & appro-
batos authores transcribere, ut
ostendit Vvolffangius Lazi. *Li. 3. Com.*
Et Tacitus Imp. teste Fl. Vopi-
fco Decuriones Ciuitatum ob-*Reip. Ro-*
strinxerat, ut quotannis de-*ma. In vit.*
cies C. Taciti opera describe-*Tac.*
rentur, ac in omnibus Bibliothecis apponenterentur, ut tanti
hominis nullo unquam tem-
pore memoria periret, cuius
tamen magna ex parte scripta
cum alijs autòribus perierunt,
Francis, Alemannis, Gothis, &

80 De fructuosa ratione
Longobardis cuncta perpopu-
lantibus , quę autem ad no-
stras manus deuenerunt , legi-
timę historiæ laudem sibi iure
suo vendicant , quam cum Ber-
nartio meo definio VERAM
RERVM GESTARVM NAR-
RATIONEM , ACTIÖNES VI-
TAMQUE HUMANAM FIR-
MITER DIRIGENTEM . Di-
xi veram , quod veritas non
solum decus ac ornamentum
historiæ sit , sed ipsa , eius ani-
ma . Historia siquidem (ut re-
bouda . plin. epist. tationi , sed fidei veritatis
lib. 7. componitur . Vera autem erit ,
si recto cursu , ac certa , vt sic
dicam , linea , Tullij seruer le-
ges . Ne videlicet , quid falsi
scribere audeat , ne quid veri
non audeat , ne quam in scri-
bendo suspicionem gratię , ne
quam similitatis ostendat . nec
temerè adiunctum , actiones
vitamque humanam firmiter
diri-

Legitimę
historiæ de-
finiō

Quomodo
historiascri-
bouda .
Cic. lib. 2.
de Orat.

dirigentem, neque enim satis
est verè & ex fide narrare quid
sit actum, sed etiam quare fa-
ctum, & quo fine factum ex-
ponere. passimque actiones,
& vitam dirigentes sententias,
proba probantes, improba im-
probantes, serie narrationis
nihil omissa aut læsa insperge-
re, omniaque dicta, facta, con-
silia, ad bene institutæ vitæ
formam reuocare. *Rerum*
quippe ratio (ut eodem loco
laetea Romani sermonis vber-
tas rectissimè sentit) ordinem
temporum desiderat, regionum
descriptionem vult etiam; quo-
niam in rebus magnis, memo-
riaque dignis, consilia pri-
mum, deinde acta, postea e-
uentus expectantur, & de con-
silijs significari quid scriptor
Probet, & in rebus gestis de-
clarari non solum quid actum
aut dictum sit, sed etiam quo
modo: & cum de euentu dica-
tur,

32 De fructuosa ratione
tur, ut causæ explicentur om-
nes, vel casus, vel sapientia
vel temeritatis; hominumqu'
ipsorum non solum res gestæ,
sed etiam qui fama ac nomina
excellunt, de cuiusque vita ac
natura. Nam hic finis histo-
Finis hysto-
riæ genuinus est, vt vniuersa-
lia ex singularibus inductione
exemplorum obseruentur, at-
que vt experientia singularium
confirmetur in nobis Scientia,
& Prudentia, qua discamus
bona imitari & amplecti, bo-
norumque præmia consequi,
mala autem fugere, & poenas
declinare.



CAPUT XI.

Monita quædam circa legen-
dam historiam obser-
uanda.

ET si tantopere Reinerus Reineccius historicam lectionem extollat, ut audeat in quadam epistola sua dicere. Palluntur qui vagam quan-
dam seu confusam scientiam Historiam esse censem; habet enim illa certos, & definitos limites &c. Nihilominus tam
men qui ea delectantur hoc primum à me Principis Philo-
sophi monitum habeant. Ne Mogitum
sint nimis creduli in historijs I.
aut increduli plane hominis Arist. 4. E-
enim bene instituti est, tan-
tum certitudinis in qualibet
re requirere, quantum eius
natura patitur, præcipue in
rebus antiquis perscrutandis
de


84 De fructuosa ratione
de quo velim obseruari aliud
Monitum Diodori Siculi monitum. In


I I. priscis rebus veritatem non es-
Tomi. 2. o- se ad vnguem querendam ne-
perum suo mo enim est inquit Picus Mi-
tum. lib. 2. randula Historicorum qui fal-
sa non habeat, & maximè dum
refert antiqua: quārum pauci
spectatores fuere, sed assen-
tiendum grauibus scriptoribus
quos supra commendauimus
licet & ad illos spectet famo-


Sen. lib. 4. sum illud Romani Sophi di-
Net. quēst etum Historici, inquit, cum
cap. 3.


multa mentiti sunt, ad arbit-
rium suum, tandem adjiciunt
illud PENES AVTOREM FI-
DES ESTO. Sed huic dicto
pro regula adjiciamus illud,
quod Arrianus, Dion, & Pau-
sanias monent. De incertis

Monitum III. conuenit prodere meliora, reti-
cere peiora. Nempe impossi-
bile est diuersos Historicos in
omnibus circumstantijs inter-
se conuenire, etiamsi de eis-
dem









CAPUT XII.

*Historiae distinctio cum suis
subpartitionibus allata.*

Historiam recte posse partiri, plurimum conduct ad eam fructuosè legendam, & dextrè comprehendendam; quin & memoriam in primis iuuat ad cognoscendum quis sit legitimus eius usus, ordo, ac series. Qua quidem in re, etsi antehac diligenter laboratum sit à multis alijs: nulla tamen mihi iustior, atque exactior distinctio Historiæ videtur præterquam Lipsiana.. Et summa eius diuisio est, *Mythistoria, & Historia* Illa quæ fabulas vero mixtas: ita quæ purum & merum verum habet. In illa poetæ sunt & id genus: qui oblectamenta auribus animisque querunt, &

Cent. Mi-
scell.epist
61.

Diuisio Hi-
storiæ gene-
ralis.

88 De fructuosa ratione
florida ista veste ornant, & au-
gent corpus hoc veritatis. Ve-
teres poetæ, & Rex eorum
Homerus, pulchrè & sèpè uti-
liter fecerunt : cùm arcanos
sensus aut altiora dogmata hoc in
quasi velo obnubunt & tegunt.
Sed hac parte missa, sit vera

Vera histo-
ria distin-
ctie:

*Naturalem, & Nat-
ratiuam diuisa.* Et illa est, quæ
naturæ faciem, & facta reue-
lat, id est, rerum, stirpium, ani-
malium ingenia, proprietates,
vires tradit. Aristoteles, Theo-
phrastus, Aelianus, Plinius fe-
cere: & plures quos ænum no-
bis subduxit. *Narratiuam di-
co, quæ res gestas actionesque
prodit, sacras siue profanas.*
Ideoque à duplice hac mate-
rie, iterum duplex *Divina &
Humana*. Illæ, quæ religionem,
aut quod adhæret tangit; hæc,
quæ res plurimum actionesq;
humanas. Iterumque ea du-
plex. *Priuata & Publica*. Nam

Tertia di-
sio Historie

Quarta di-
sio:

aut singulorum res, vitam, vir-
tutes, vitia recenset, & Priua-
ta est: aut quæ publicè pluri-
mum vñsi, aut noxæ, sunt gesta,
& *Publicam* appello. Et priua-
tam scripsere plurimi, qualis
inter alias Plutarchi illa, in qua
vitas Latinorum & Græcorum
so. describit. Aemilius Probi
sive Cornelius, qua vitas aliquot
Ducum Græcorum, & Punico-
rum expressit Pauli Iouii, de
Illustrib[us] bellica laude, & in-
signi doctrina. Acneæ Fici Par-
mensis de imaginibus Impe-
ratorum. Gaspari Vrsini, de
Regibus, Imperatoribus, Pon-
tificibus. Laertius etiam descri-
psit Philosophos Simphorianus
Campegius, claros Medicos.
Ioan. Fichardus insignes Juris-
consultos. Eunapius Doctores
Ecclesiasticos. Philostratus So-
phistas, Tritheimius viros sa-
pientes. Petrus Nonius, Hi-
storicos & Poetas. Plutarchus

*Circumstā-
Hariistoria
tāria.*

*In Dode-
cordio.*

90 De fractio[n]a ratione
verò, & Philippus Pergamensis,
& Ioan. Boccatus, cum Iosepho à Pino, scripserunt de
claris mulieribus; de Illustrib[us]
autem viris, infiniti p[er]nè. Omnes
utiles, propriè tamen, &
distinctè. Naturalis Historia
scientiam. Diuina religionem.
Humana prudentiam. Omnes
delectationem habent. Sed ad
Narratiuam ut commodè ac-
cedas, circumstantias historiæ
rum primo cognoscas, & obser-
ves necesse est; quod enim in
cantu modi, inquit Glareanus,
id sunt circumstantiæ in neces-
sariis, *Locus* nempe & *Tempus*,
quæ veritatem Historicam om-
nem & illustrant, & confirmant
simulque efficiunt, ut certam
ex Historiis utilitatem perci-
piamus; ideo rectè dicitur duo
esse lumina, & duos velut oculos
Historiæ, Geographiam vi-
delicet & Chronologiam. Illa,
ut locorum, regionum, urbium

notitiam aliquam conciles: hæc, ut temporum, quibus queque res gestæ Sed commune in dumtaxat, & nō illam exactam notitiam exigo: satis sit mundi partes fitusque distinguere: prouincias, & in iis flumina, montes, opida clariora nouisse. In temporibus etiam, seriem eorum & ordinem teneare, & velut terminis quibusdam finire imperia, bella, euentus.

CAPVT XIII.

*Secunda historiarum diuisio
specialior allata, & qui Hi-
storici in quaque materia
legendi, propositum.*

Naturali Historia nunc seposita, Narratiuam quam vulgo & peculiariter Historiam etiam appellamus, in Diuinam & Humanam diuisimus: & utramque nunc sub di-

92 De jucundatione
uidendam, & ex quibus scri-
ptoribus petendam reassumi-
mus. Et primum ea quam pie-
tas vult *Divinam* appellare,
*Dni. m. Hi.
storia tri.
plex.* trifariam generaliter diuidi po-
test: in *Iudaicam* veterem, (quæ
facilis est, nec diu tenebit) è li-
bris sacris, Iosepho, & eius in-
terprete Hegesippo petendam.
In nostram hanc *Nouam*, id est
Christianam. olim ex Eusebio,
Nicephoro, Sozomeno, pluri-
busque alijs, nunc ex uno Ce-
fare Baronio, quem continua-
runt Bzouins, & Raynoldus ad
fatim hauriendam; & sufficit
ex ea vniuersè initia, progres-
sum, dissidia, capita & antistites
religionis nostræ scire. In *Mi-
scellam* denique & superstitio-
sam, qualis inter reliquas Ma-
hometana, quæ magnam orbis
partem, à multis iam seculis,
obtinet, Sinensium, Peruano-
rum, Indorum, & qui alii va-
nam & simulachris seruam,
eam

eam habent; sed ex diuersis
historicis carptim obseruan-
dam:nam & hæc quoque viro
Politico & experienti quis ne-
get libanda esse? sed, ut doctif-
simus Lipsius moneret, carptim,
Humana Historia supereft (ad *Humana*
quam præcipue lectorē meum *Historia*
voco) secundum eundem Ma- quadruplex
gnum & incomparabilem vi-
rum facta quadruplex, ordinis
doctrinæque causa. *Orientalis,*
Greca, Romana, Barbara:

Prima, quæ primi aut prisci
orbis res habet: cum nostra
hæc omnia inculta, aut infre-
quentia, & certè obscura &
ignota. Itaque in Iudæis, Ae-
gyptijs, Syris, Persis, reliqua
Asia, res ferè & nobiliores eu-
tus tunc fistunt: aut siquid ad-
mixtum leue est, nec scriptione
aut lectione diuellendum. Hanc
primò nosci suadeam: & peti a lu-
stino breuiter: ubetius deinde
ab Herodoto Diodoro Siculo, &

94 De fructuosa ratione
si qui Græcorum eam suis mi-
scerent. Quædam enim Polibius,
Plutarchus, Zonaras, alij sug-
gerent, huc apponenda. Sed
Lip. Cent. Diodorum, inquit ille, ego
Miscell. E- laudo & approbo: utinam ple-
pist. 61: num, &, ut scripsit, absolutum.
Altera est Græca in qua Spar-
tanorum, Atheniensium, The-
banorum, & præcipue Mace-
donum res sunt: quos huc rra-
ho & includo, Præter iam
dictos, dabunt, Thucydides,
Plutarchus, Arrianus, & Q.
Curtius è Latinis per partes
colligenda est, nam qui totam
& ordine scripserit, totus ad
nos non venit,

Tertia est Romana, in qua
vbertim rerum & euentuum,
eorumq; insignium. & quæ plu-
res scriptores illustrarunt, quia
non fuit gens, puto & non erit,
quæ plura vel in militia, vel in
pace, laudis & virtutis exem-
pla suppeditaret, vt non im-

merito quispiam dixerit. *Græci præceptis valent, Romani exemplis.* Itaque ad hanc tertiam, candide lector, ad hanc segetem veni, manipulos frumentum collige, & in usum tuum reconde. Sed ut ordine fiat ea ipsa diuidatur trifariam. In *Veterem, Medium, Nouam.* Prima mihi est, à Regibus & Vrbe condita ad Augustum. *Media*, cùm immutato statu ad Principes ventum. *Noua*, cùm iterum mutato, sedes ipsa Principatus Byzantium est trāstata.

Romanæ
storia
plex.

In *Veteri* scriptores Græci Latinique sunt, præcipue isti: *Dionysius Halicarnassæus, T., Liuius, Polybius, Plutarchus.* *Appianus:* quibus compendia adiungere liceat *Velleij, Flori, Eutropij, Orosij.* Velleianum laudabile suit: sed potior pars perijt: iudicio & ordine tamen scriptum, & quod exemplar ple-

96. De fructuosa ratione
niori Chronologiaz sit ad imi-
tandum. Faciant huic parti,
Fasti Romani à Carolo Sigo-
nio editi, & producti ad Au-
gustum.

At in *Media noster Tacitus*,
Suetonius, *Ammianus*, *Spar-*
tianus, & adiuncti Cæsarei scri-
ptores: è Græcis autem *Dio*
Cassius, *Io. Zonaras*, *Herodia-*
nus legendi, tum & compen-
dium *P. Victoris*, itemq. *Eu-*
tropij. Adde ad seriem tem-
porum, imò & rerum lucem
Onufrij Panuinij Fastos, ab
Augusto ad Iustinianum dili-
genter, & industrie consigna-
tos.

Noua super est, in ea ferè
Græci isti, *Zonaras*, *Zosimus*,
Procopius, *Agathias*, *Nicetas*
Choniates, *Nicophorus Grego-*
ras, *Michael Glycas*, *Georgius*
Cedrenus, et si hic ultimus qui-
dem, anilium sæpe fabellarum
scriptor, & veri incuriosus ve-

ignarus; iudicio legatur tamen
dabit quod iuvet. Et hæc de
Romana Historia habe.

Quarta supereft *Barbarica*; Quarta &
quid nisi Iacinia & spolium ab ^{ultimapars}
illa veste? Nam hanc appello
& intelligo, cum scisso fracto-
que imperio; maior pars ad
Gallos, Germanos, Turcas iuit,
& alternatim hucusque man-
sit. Nec enim Gothos, Hunnos,
Vandalos, Scythes, aut illam fe-
eem huc includo, quæ ma-
neat in *MEDIA* aut *Nova Ro-*
mana, & ijs inserta nempe
legetur. Faciunt huc propriè
tamen *Jornandes*, *Procopius*, *A-*
gathias, & si qui tales: Sed
meam hanc Barbaricam, varij
scripsere, atque ipsi ferè bar-
bari, etsi nonnulli haud barba-
rè, extanrque Germanici, Gal-
lici, Polonici, Britannici scripto-
res in vnum corpus nuper de-
corè & utiliter conducti ac vul-
gati. Quos inter nunc singula-
riter

98 de fructuosa ratione
riter eminent Petrus Maffæus,
Famianus Strada, & Albertus
Koialouicz. Tum qui Florum
imitati Galliæ, & Poloniæ Hi-
storias compendio ediderunt,
Petrus Bertault, & Ioannes Pa-
storius. Sunt & *Annales à P.*
Pythæo editi: & quotidie hu-
iusce argumenti prodeunt, iu-
dicio eligendi. Scripsit & **Caro-**
lus Sigonius de Regno Italiæ,
quod huc facit; & *Io. Leuncla-*
uius, Turcica, vterque mihi
bonus & laudatus Quid omit-
to? *Laonicus Chalcocondylas*
se suggerit, in Turcicis Græ-
cisque legendus, item *Wilhel-*
mus Tyrius, & alij in transma-
rinis sacrisque bellis. modo in
legendō præscriptus ordo ser-
uetur, ne confusa & vaga lectio
sit, aut defultoria & interru-
pta, quod plerisque euenit, qui
velut ex equo in equum se-
traijciunt, ab hoc scriptore in
alium, ab isto argumento in

aliud, momentaneæ voluptatis
tantum causa, & ut tempus
modo suum, imò & se, fallant.

CAPVT XI V.

*Quid excependum ex historijs
& quomodo in Memoria-
ibus libellis recon-
dendum.*

Quid historia sit, quotui-
plex, & quam vtilis ad
omnem vitam, diximus, nunc
qua industria & cura sit legen-
da breviter, vt & alia ex Lip-
sio, adferemus, quia in ea
omnis est legentium fructus,
cui assequendo lectionem ip-
sam non sufficere scito, ne re-
petitam quidem, imò nec in
felicissima memoria: sed opus
esse *Excerptis* quibusdam &
Notis rerum verborumque
singulariū, quas imitemur: quæ
excerpta Memorialibus libel-

100 De fructuosa ratione
lis, tamquam ærario, contineri
velim, vnde sermonis illæ opes
per tempus & ad usum pro-
mantur. Duo itaque in legen-
dis Historicis specto, siue exigo
Attentionem & Electionem, id
est, non suspensum aut attoni-
tum te habeat tantum nouitas
aut magnitudo enentium. sed
stupor quidam & admiratio,
ut insistas & inquiras, cui rei
hoc facere posse, & ecquæ u-
sū sui præbere. Mora hic inter
legendum & tarditas, fateor:
sed nimirum, dicto veteri *Nul-*
la res potest esse eadem, festi-
nata simul & examinata: nec
esse quidquam omnium, quod
habeat laudem diligentiae, si n
gratiam celeritatis. Tarda igi-
nur, & quare, cum repperisti,
cum sit *Electio: id est, ut stylum*
expias & excerptas, & velut ar-
nonam in horrea quædam re-
ponas. Ea distincta etiam sint,
& iam antè libri parati, meo

*Quid in le-
gendis Hi-
storicis spe-
ctandum.*

iudicio, quattuor: in quos, quid
 quid eligis, conferas & tuto de- ^{Quattuor}
 ponas. Nam memoriae suæ qui ^{libri habet} di pro noīū
 credit tantùm: quid agit? non ^{dis} excep-
 dicam nihil, sed in breue, pro-
 ficit; nec vlla ea tam vasta, ca-
 pax, tenax est, quæ varia ista-
 cum fide asseruet & reddat.
 Trade libris, in quo labor ali-
 quis, & iterùm in legendo re-
 mora; sed, mihi crede, vtilis, si
 quidquam in omni ratione
 studiorum. Libri isti quattuor,
 totidem titulos habeant re-
 rum, quas præcipue in Historijs
 notes, MEMORABILIVM, RI-
 TVALIVM, CIVILIVM, MO-
 RALIVM.

*Quid Memorabilia? Res, de-
 signo magnas, & cum admir-
 atione aut motu legendas, sive
 audiendas: ut est notabilis Po-
 tentia alicuius Regis aut popu-
 li Opera vel Opes. Prodigia, se-
 noui aut insoliti Euentus. Vno
 verbo quidquid nō obuiuum,*

102 De iuris iurorum
& magnitudine vel raritate se
commendat.

Ritualia autem , quæ perti-
nent ad instituta ritusq; vete-
res , siue quos in publico , siue
in priuato usurpabant . Alios
enim istos Orientales , Græci ,
Romanique habuerunt : & ab
ea notitia , seria omnis depen-
det intelligentia veterum scri-
ptorum .

At *Civilia* appellò , quæ ad
viam & regimen commune
faciunt , & hanc hominum iu-
re , & legibus deuinctam socie-
tatem .

Moralia denique , ea quæ
priuatim ad nos & vitam fo-
rmandam , virtutibus amicam ,
vitijs alienam .

Quisque autem liber alios &
minores suos titulos habeat ,
sub quibus siue *Sententiarum* ,
siue *Exemplorum* seriem pone
quidquid ad singulos illos fa-
cit , quia Natura & Memoria

or-

ordine & partitione ista gau-
dent. Ut, ille *Memorabilium*: Quomo-
in ea quæ attigi: nec nimis sa- ^{notādo M-}
nè argumentum hoc patet. (vi morabilia
de tamen pro exemplo *Admi-*
randa Lapsij sine *De Magni-* ^{Quomodo}
tudine Romana) *Latissime Ri-* ^{Riesal-}
tualium. ac diuidamus in *Sacra*
& *Profana*. *Sacra* omnia pu-
blica: continentque Deos, &
eorum *Nomina*, item *Cognor-*
mina tum *Insignia*, *Munia*,
Cultum & *Templa*. Amplius,
Sacerdotes, aliosque ministros:
rum *Sacrificia ipsa*, *Hostias*,
Ceremonias & *Ritus*: denique
Verba solennia & formulas pre-
cationum, & quidquid illos-
aut ista spectat. Iam *Profana*
sequuntur; atque ea duplicita,
Publica & *Priuata*. Illa, quæ
communiter omnes aut plures
tangunt, & publicis legibus aut
institutis continentur. ut *Ma-*
gistratus & singulorum *Mu-*
nio aut *Ornamenta*; ut *Sena-*
tus,

104 De fructuosa ratione
tus, Militia. Prouinciae, Pre-
fecturæ, Officia, & quidquid
istis adhæret. tum Leges, Ju-
dicia & eorum ratio. Supplicia,
Tormenta, Pœnæ? lætiora de-
nique, Ludi, & Spectacula,
Triumphi. & Festi dies. Ad
Priuata venio, & ijs subiungo
Nuptias. Funera. Balnea,
Coniuicia, Vestes, Nummos, &c
quæ longum sit complecti.

modus
Civitatis. Sequuntur & excipiunt Ci-
vilia: ut ilissima pars ijs, quos
genus aut destinatio ad Rem-
publicam vocant. Is liber tres
partes habeat, antiqua & veris-
fima diuisione; status Regum,
Optimatum, Populi. In qua par-
te notes, & eò referas, quæ Fir-
mandæ sint, aut Vertendæ: &
hæc ipsa subtilius diuide, ut à
Lipso in Politicis factum.

do
rum Postrema sunt *Moralia*, quo-
rum duæ partes, *Virtutum &*
Vitiorum. Velim & hæc dispo-
ordine litterarum; sed ita

ut virtute praeunte, cuique
bina sua *vitia* sint subiuncta.
Traho eodem etiam non *vitia*
propriè, sed *Affectus*; & *Cupi-*
dinum stirpes, *Spem*, *Metum*,
Gaudium, *Dolorem*, adnecto;
tum etiam *de Beata vita*, &
quidquid in Ethicis sedē suam
habet. Atque hæc sunt, quæ in
historijs obseruanda doctissi-
mus Lipsius putauit, quanti m̄
ad parandam copiam rerum,
& elegantiam styli, de quo ad-
huc pauca ex eodem, capite
sequenti, & iam ultimo.

CAPVT XV.

*Quæ ad Stylum Oratorium
iuuandum aut comparan-
dum ex Historijs de-
cerpenda.*


Vtilitates Historiarū in om-
ni vita, in omni scientia,
maximas percensuimus, & mo-
dum


106 De fructuosa ratione
dum quo omnes, omnium re-
rum euentus notandi & excep-
pendi sint, explicuimus. Su-
perest, ut ostendamus quomo-
do liberè possit diligens lector,
vagari per scriptorum omne
genus, & flores ex omni prato
Historiarum carpere, ad Elo-
quentiaz hanc corollam.

Duo libelli
habendi pro
stylo inuan-
do ~~et~~ scri-

Habebit itaque duplices li-
bellos, vnum, quem Ornamen-
torum dixerim, alterum, quem
peis Histori Dictionis. In primo, distinctè &
per capita alphabeto connota-
ta collocauerim Similitudines,
Allegorias, Imagines, Acutiora
dicta, Sententias, & si qua illu-
stria eiusmodi lumina sermo-
nis, etiam ab Oratoribus peti-
ta. In secundo, ab omnibus; id
est, & à Grammaticis, & à Glos-
sarijs antiquis, atque Iurecon-
sultis Phrasium & verborum
elegantiam. Phrases quidem
notari velim, quecumque in-
niores aut nitidiores occur-







20122.

